U6

G.x.13

PETRI MAGNOL

REGIS CONSILIARII ET MEDICI,
In Almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Profeſſoris Regii, olim Horti Regii Monſpelienſis Præfecti, & Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Socii,

NOVUS CARACTER PLANTARUM,

IN DUOS TRACTATUS DIVISUS;

Primus, de Herbis & Subfruticibus, in tres Libros diviſus.
Secundus, de Fruticibus & Arboribus, in tres Libros etiã diviſus.

OPUS POSTHUMUM SUMMI LABORIS;

AB AUTHORIS FILIO

In eâdem Medicorum Academiâ Profeſſore Regio;

IN LUCEM EDITUM.

LONDON·MEDICAL SOCIETY OF

MONSPELII,
apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis, Occitan. Comitiorum, Univerſitatis, Cleri, & Urbis Typographi.

M. DCC. XX.

ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE VIRO
D. D. NICOLAO
DE LAMOIGNON DE BASVILLE
EQUITI,

COMITI DE LAUNAY, COURSON, Marchioni de Lamothe - Chandenier, Beuxe, &c. Regi à Secretioribus Conſiliis, & Occitaniæ quondam Præfecto.

BOTANICI Laboris fœtus iſte à Patre meo accuratè excultus, VIR ILLUSTRISSIME, Tuis auſpiciis emittendus erat: illum tibi inſcripſerat ex animo & dicarat. Verùm quem morte ereptus non emulgavit, hunc ipſum cum primùm in lucem prodit, ego paternæ mentis & voti conſcius non tàm offero quàm reddo datum, multiſquè tibi nominibus debitum.

Nimirum in eâ Provinciâ ortus eſt & adolevit, in quâ Judiciariæ, Politicæ ac Militaris Rei Præfecturâ inſignitus tranquillè adminiſtrabas omnia & fovebas. Egebat placido pacis & quietis otio hæc operoſa elucubratio, ut ad umbilicum perduceretur: hæc otia nobis faciebas, VIR ILLUSTRISSIME.

Deindè Litteratos amas Litteratus ipſe, omni ferè diſciplinarum genere locupletatus. Quid enim tùm veteres, tùm novi ſcriptores ſuis collêgere Libris, quod non incluſeris vaſto eruditæ mentis ſinu.

Præterea non ſolùm Litteratos amas, digna Litteris gerens, ſed eos beneficiis ornas & acuis.

Demùm huic paterno operi vegetantis naturæ myſteria detegenti advocandus fuit præpotens Tutor, nè quis impunè.

Floribus inſultet, ſurgenteſque atterat herbas.

Et verò cujus virulentos dentes, morſuſquè noxios pertimeſcat ſub illius umbrâ, qui cedros humileſquè myricas benignis oculis circumſpiciens, vigili æquè ac ſolerti ſtudio tueatur, curetquè ſingula & proſit omnibus.

Quem innumeris Reipublicæ & privatorum diſtentum curis, ſic tamen ſingulis invigilantem, ſtudentem, incumbentem, ſe dantem vidimus, ut ingenii præcelſi amplitudine complectens omnia nullis ſit impar, omnibus fuerit ſatis.

Sileo, VIR NOBILISSIME, præclarè geſta decretaquè pro avito veri numinis cultu, firmandâquè pace. Quis enim neſciat tuâ curâ atquè indefeſſâ vigilantiâ inter horrendos armorum fragores qui ſollicitos trepidoſquè habebant populos, ab efferati militis diſreptionibus, incendiis, cruentis ſtragibus, ac cæteris furoris bellici calamitatibus, non modo tutos fuiſſe nos, ſed etiam fugatis fuſiſquè Fanaticis Gebennatum

perduellibus totam circumquaquè pacatam fuiſſe Occitaniam, firmatamquè priſcam Patrum Religionem, atquè à terroribus exempta Templa.

Quis in eâ Provinciâ te non prædicavit æqui cultorem accuratiſſimum, dum litium moleſtas nimis & nimis malignas innatâ partâquè mentis luce diſcutiens tenebras, & ad amuſſim exactâ lance pendens ſingula ſuum cuique ſervares.

Quid autem de tuâ Blandè ſuadâ eloquentiâ commemorem, quæ tibi Auditorum animos conciliat & rapit? Quis enim victrici populorum facundiæ obſtitit Tuæ, quoties Te in ampliſſimis hujuſce Provinciæ Comitiis perorantem audivimus? Quid de leporibus ſalibuſquè quibus familiares ſpargis allocutiones. Hæc Tua ſunt, quæ colunt atquè ſuſpiciunt quotquot Te norunt, VIR ILLUSTRISSIME.

Nequè enim eſt quod hic ad laudes accerſam attexamquè Tuas Heroes inclytos, illuſtres animas Lamoniæ gentis quorum memoria viget, eſtquè diù venturum in ævum cum laude victurâ.

Quid enim non occurrat dicendum de Illuſtriſſ. LAMONIO Pariſini Senatûs principe Patre Tuo numquam ſatis laudato, cui datum ut ingenio; moribus, gradu, integritate, oris dignitate, ac melliſluâ facundiâ anteire cæteris, ſic dici & eſſe & decus Urbis, & Pater Populi.

Quid de Tuo CURSONIO, qui difficillimis temporibus Aquitaniæ Præfecturâ decoratus, Tuis inhærens præceptis atquè veſtigiis, in ipſo juventutis flore ob rem benè ac ſtrenuè geſtam meruit majoris Conſilii Senator fieri. Majores nomen tuum illuſtrant, ſed nùm à Te clariùs illuſtrantur.

Munuſculum igitur iſtud, VIR ILLUSTRISSIME, ſi minus

Te dignum ſaltem paternæ ac meæ in Te obſervantiæ veluti pignus & monimentum memoris animi quamdiù vivam duraturi, benignè & ut ſoles omnes perhumaniter accipè, huic fave, hoc tuere, ſi placeat, gratumque ſit, aliis placebit. Hæc vovet & rogat,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus ſervus, MAGNOL.

PRÆNOSCENDA
AD
HUJUSCE TRACTATUS
INTELLIGENTIAM.

DUO habet præcipuè Plantarum cognitio quæ cuncti homines ardentiùs deſiderant, utile ſcilicet & jucundum; utilitas pendet ex earum virtutum cognitione, jucundum verò ex infinitâ penè Plantarum varietate, quæ non ſolùm ſenſus noſtros jucundè afficit, ſed etiam animum recreat, & ad Creatoris bonitatem admirandam elevat, qui tot Plantas tam elegantes tamque artificiosè diſpoſitas creavit.

Virtutum cognitio nos ideò maximè incitare debet, ut curam & laborem ſtudiosè adhibeamus ad novas quotidie virtutes detegendas, quarum ope innumeros morbos quibus quotidie propter pravam victûs rationem cruciamur, propellere & profligare valeamus.

Sed jucundum utili mixtum maximum debet eſſe incitamentum ad ſuadendam Plantarum cognitionem, imò

& ſi illud oblectandi ſolummodo causâ fieret, voluptas quæ indè percipitur, decet & maximè convenit egregiis & honeſtis à naturâ inſtitutis ingeniis.

Verùm neſcio quo fato pauciſſimos viros litteratos videmus huic ſcientiæ tam neceſſariæ tamque jucundæ operam dare; plurimi quidem ſunt aliarum ſcientiarum amatores, quamvis earum principia ut plurimum incertiora ſint, at duo aut tres excellentes Botanicos in uno ſæculo vix reperies, fortè quia talenta quæ Deus varios numero ſingulis impertit, pauciora ſunt pro Botanicâ.

Præterquam quod non ſolùm requiritur illud talentum quod à Deo datur, ſed multò majores occurrunt in Botanicâ difficultates quam in aliis ſcientiis, neque enim videndæ ſolum, & examinandæ ſunt Plantæ quæ in noſtris hortis coluntur, aut in apertis & circumpatentibus campis adoleſcunt, quærendæ ſunt in altiſſimis montium jugis; luſtrandæ præruptæ rupes & immanes non ſine terrore circumjectæ voragines; intolerabilibus caloribus & frigoribus uri; uno verbo graviſſimas tempeſtatum inæqualitates maximo cum vitæ diſpendio ſuſtinere. His difficultatibus addamus infinitum Plantarum numerum & varietatem quæ in noſtris regionibus creſcunt, præter eas quas ex ultimis mundi plagis nobis continuò deferuntur, ita ut ſcientia Botanica dici poſſit vaſtum mare cujus immenſitas nondum detecta eſt, quodque periculoſum eſt ſeſe huic committere.

Tot tantæque difficultates animum Botanices amore accenſum deducere non poſſunt, quominus vaſtum illud

mare conſcenderet, ſi peritum navis rectorem invenire liceret, qui eam feliciter in optatum portum inveheret.

Peritus ille nauclerus nihil aliud eſt quam caracter univerſalis, quo veluti teſſera Plantæ omnes ſub certis generibus collocentur, dividantur, & in ſuas ſpecies reducantur; nam ſine certâ methodo omnes artes & ſcientiæ eſſent confuſæ, nulloque modo addiſci poſſint.

Ad hunc caracterem inveniendum peritiores Botanici omne ſtudium, laborem, & vigilantiam contulerunt, eorumque laboribus & ſudoribus debemus præſtantiſſimas lucubrationes quas nobis reliquerunt.

Joannes Raius Doctiſſimus Botanicus varias Plantarum partes pro ſuo caractere elegit; eas præcipuè quæ melius conveniebant ſuo intento; vidit tamen quod hæc methodus non erat ſufficiens, nec labori nec operæ pepercit ad meliorem inveniendam; quod nobis teſtantur variæ methodi quæ poſt ſuam hiſtoriam univerſalem nobis reliquit.

Suum deſumpſit caracterem Morissonius à Plantarum ſeminibus, in hoc fortè ſecutus ideas Cæsalpini; plurimum tamen fecit dum primus incultam ferè Botanicam exaravit: ſed illius methodus, ſicut illa Rivini qui Plantas juxta florum regularitatem aut irregularitatem diſpoſuerat, & Hermannus qui à numero capſularum ſufficienter à Raio, & aliis agitatæ fuerunt; quia plurimas Plantas ſeparant, quæ ſimul eſſe debebant, alias verò jungunt, quæ erant ſeparandæ.

Cum idem dicat Raius de methodo Plantarum Tournefortii, quæ tanto cum applauſu recepta fuit, eam exa-

minandam accuratiùs fore duximus, & certè plura adhuc inveniemus quam Raius dicat; quod clarè patebit per quaſdam animadverſiones quas hîc addere neceſſarium arbitrati ſumus, ut cognoſcant omnes, quod qui alios præoccupationis accuſat, ipſe magis præoccupatus eſt, dum ita facilem ſuam methodum prædicat, ut nullò quidem præceptore docente, certam Plantarum cognitionem ex tempore, & intra ſpatium unius aut alterius horæ conſequantur Botanophyli.

Cum flos una ſit ex præcipuis & pulcherrimis Plantæ partibus, plerique ad credendum faciles fuêre, quod character à floribus deſumptus aliis omnibus erat præferendus; & cum tantam florum varietatem non cognoſcerent ſibi facilè perſuaſerunt, quod ſi paucorum florum formas admitterent, illicò perfectos fore Botanicos; ideo jucundè admodum hanc methodum amplexi ſunt, quæ cum deindè ad praxim reducenda eſt, tunc multò difficilior, & aliis magis irregularis ſe prodit: pauco claſſium numero tentantur, ſed ut verum dicamus, centum claſſes non ſufficerent, ad innumeram florum varietatem ſub diſtinctis generibus collocandam.

Dicamus præterea quod pro parvâ quâdam in floribus ſimilitudine aut diſſimilitudine mutanda non eſt naturæ ſapienter agentis œconomia, & ſeparanda quæ debent eſſe conjuncta, aut jungenda quæ debent eſſe ſeparata; quod ex exactis florum deſcriptionibus quas proponemus clarum fiet.

In primâ claſſe Tournefortii ſunt Plantæ flore Monopetalo campaniformi; quarum quatuor ſpecies proponit,

flos campaniformis propriè dictus, tubulatus, patens, & globoſus; cur quatuor claſſes non conſtituit, cum tantùm inter ſe differant flores hujuſce claſſis: ſaltem illas quatuor claſſes debebat ſeparare, in propriis locis deſcribere, nec confundere, ut facit, ponendo Lilium Convalium & Ruſcum ferè poſt Mandragoram, inter quæ tanta eſt florum diſſimilitudo, quod cum illi opponit Raius, reſpondet perfectè ſimiles eſſe, cujus rei omnium oculi contrarii teſtes erunt, præterquam quod flos Mandragoræ non poteſt propriè dici campaniformis.

Quænam quæſo ſimilitudo inter florem Convolvuli campaniformem, & florem Tithimali campaniformem globoſum? Quis utrumque in eodem loco quæret? eſt ne illa methodus facilis?

Præterea debebat potiùs innovare claſſem Plantarum Monopetalarum cruciformium, quam cum campaniformibus miſcere Rubiam, Gallium, & Similia, quæ nullo modo ad illam ſpeciem campaniformium reduci poſſunt.

In ſecundâ claſſe ponit flores Monopetalos infundibuliformes, quorum duas facit differentias, & tertiam addit nempe flores rotatos, debebat ergo tres claſſes conſtituere, cum tantum inter ſe differant, imò debebat Gentianam, Nicotianam, & ſimiles in primâ claſſe reducere; & quis quæret Plantaginem inter flores Hypocrateriformes, cujus flos vix floris nomen meretur? Quis Rubeolam inter Mirabilem Peruvianam, & Valerianam, levis quædam ſimilitudo debet-ne pugnare contra viſum & ſenſum?

Diſtinguit in tertiâ claſſe flores anomalos aut perſo-

natos à labiatis, quod in labiatis capſula prius fuerit calix, quod tamen verum non eſt; calix enim labiatorum ſemper eſt calix & nuſquam ſit capſula, quamvis contineat ſemina; & in hoc præcipuè conſiſtit florum perſonatorum & labiatorum differentia, quod perſonati habeant calicem internum, labiati verò tantum calicem externum; quod clariùs patebit dum de illis loquemur.

Quarta claſſis continet flores Monopetalos labiatos irregulares; quæ irregularis eſt & ſine methodo habito reſpectu ad florum formas: dicimus primò quod non eſt neceſſarium calicem eſſe Monophyllon; ſecundò quod Piſtillum nuſquam ſit fructus, ut nec Borraginis, nec aliarum Plantarum quas vocat flore rotato, ut alibi fuſiùs dicemus; illud enim piſtillum nihil aliud eſt quam ſtylus in medio ab ipſis ſeminibus ſeparatus, qui ideo facilè diſtinguitur à Plantis quæ capſulam hoc eſt calicem internum habent.

In quintâ claſſe reducit Plantas quas vocat flore Polypetalo cruciformi, quia petalorum diſpoſitio crucem repreſentat: quod verum non eſt in ſuo Rapiſtro orientali Acanthifolio, & in aliis quibus bina ſunt ex adverſo petala; imò deficit in eo quod omittit Papaver, Rutam, & alias, quas malè poſuit inter flores roſaceos; nec obſtat dicere quod illæ aliquando habent quinque petala, quod raro illis accidit, ſed ordinarius caracter eſt habere quatuor petala, alioquin nullæ Plantæ eſſent flore cruciformi, cum in omnibus per accidens aliquando occurrat habere quinque petala. Dum autem dicit quod piſtillum abit in fructum, illud piſtillum nihil aliud eſt quam ipſemet fructus.

Sexta ſua claſſis florum roſaceorum eſt congeries florum quorum formæ toto cœlo differunt, unde non mirum ſi in pauco claſſium numero, tot voluit Plantas flore diverſas involvere, quæ meliùs & clariùs diſtingui debebant; quis enim ſibi perſuadeat florem Circeæ bipetalon eſſe florem roſaceum; habet ne floris roſacei diſpoſitionem? Sicut & flos Junci, Damaſonii, & aliorum; longum & tædioſum eſſet Plantas quas in hâc claſſe repoſuit recenſere, quæ nullam floris roſacei figuram habent.

Miramur certè quod in ſeptimâ claſſe Plantis umbelliferis florem roſaceum tribuerit; neque enim poſſumus exiſtimare quod poſſit aliquis in floribus umbelliferarum diſpoſitionem florum roſaceorum invenire: dicamus ſolummodo quod plerique flores Plantarum umbelliferarum ſunt irregulares. Ideo quare non alteram claſſem erigebat plantarum umbelliferarum juxta legitimum & receptum uſum, quæ vera eſt illarum differentia, non autem duo habere ſemina conjuncta; nam Echinophora quam vocat ſive Crithmum maritimum ſpinoſum, non minus debet inter umbelliferas recenſeri, quamvis unicum habeat ſemen; & è contra ab umbelliferis propriè dictis debent excludi Sanicula & Hydrocotile, quamvis habeant duo ſemina, multò magis Eryngium quod nec habet formam umbellæ, nec floris roſacei.

Non debebat in octavâ claſſe ſeparare flores cariophilleos à roſaceis cum ſit eadem floris diſpoſitio; calix enim non debet conſtituere claſſem ſeparatam, dum claſſes diſtinguuntur à floris formâ; imò ſi in claſſe flo-

rum roſaceorum ad calicis formam reſpexiſſet, claſſium numerum multum auxiſſet; præterea calices Lini, Limonii, & aliarum multùm differunt à calicibus Cariophilli.

Nona claſſis eſt florum liliaceorum quorum maxima pars quæ flores habet irregulares non meretur tale nomen: nec obſtat dicere quod per flores liliaceos intelligit Plantas quæ ſex habent petala, vel in ſex partes flos dividitur & capſulam habent trigonam, illud enim Heliotropio tricoco convenit, Cannacorus habet florem irregularem & calicem externum, quem non habent flores liliacei.

Plantæ leguminoſæ decimæ claſſis habent omnes florem Pentapetalon, ut in propriâ ſectione oſtendemus; piſtillum autem quod vocat nihil aliud eſt quam ſiliqua cui non eſt nomen mutandum.

In undecimâ claſſe Plantarum flore Polypetalo anomalo, ſeparandæ ſunt illæ quæ calicem externum & internum habent ab iis quæ internum ſolummodo habent, quod ipſa natura indicat; ſic etiam debent ſeparari Fumaria & Reſeda, inter quæ nulla ſimilitudo, nec eorum calices aut piſtilli abeunt in fructum ut in ſequentibus dicemus.

Duodecima, decima tertia, & decima quarta claſſes continent flores compoſitos, quorum floſculos, vaginam & ſtilum bifurcatum jam deſcripſerat breviùs. In duodecimâ, inter flores floſculoſos reponit Ambroſiam & Xanthium quorum flores debent dici flores floſculoſi, quamvis enim habeant quoſdam tubulos, in modum florum

compoſitorum

compoſitorum congeſtos, illi nihil aliud ſunt quam vaſa excretoria, vel ad alios uſus comparata, quæ nullum ſemen producunt. Verus flos eſt congeries ſtaminum quæ videntur dum ſeminis calix aperitur, & extrà apparent, & ideò ad plantas flore ſtamineo reduximus.

Decima quinta claſſis eſt plantarum flore ſtamineo, in quâ plures ſunt quas in aliis ſectionibus reponemus, quia petala habere cognovimus.

Decimam ſextam & decimam ſeptimam habet de plantis quæ ſola ſemina proferunt, & de iis in quibus ſemina deſiderantur; nos autem in quamplurimis invenimus capſulas, flores & ſemina, nec etiam in omnibus muſcis deſiderantur, plures enim cum capſulis ſeminalibus deſcripti ſunt.

Plura dicenda forent de aliis claſſibus fruticum & arborum, ſed vide ſolummodò genus ſecundum claſſis ſecundæ de Thimæleâ, ubi tot plantas toto cœlo diverſas conjungit, & hæc ſufficiant ut oſtendamus characterem à floribus deſumptum Botanicam difficiliorem reddidiſſe.

Ex dictis facilè induci poteſt quàm difficile ſit plantas omnes ſub certâ methodo deſcribere. Fatentur doctiores Botanici nullam adhuc univerſalem excogitatam fuiſſe, unde nimiæ audaciæ taxari poſſimus tantum opus ſuſcipere, cum flores & fructus qui plantarum ſunt partes præcipuæ non ſufficiant: nec nos movere debet quod dicit Tournefort. ſuam methodum habere ſuum modum, quem ultra citraque nequit conſiſtere legitima plantarum cognitio, à quo ſi quis recedat, quæ firmiora ſunt in re Botanicâ turpiter cadere neceſſum eſt, & quod aliquid innovare impoſſi-

bile ſit, cum nihil flore præſtabiliùs ſit ad rectam methodum inſtituendam; cum ea quæ ſuperiùs diximus contrarium evincant.

Quæramus igitur in ipſo flore peritum Nauclerum noſtrum, ſed alio prorsùs modo, cum quo per facilem methodum infinitus plantarum numerus in juſtum ordinem redigatur: quod ut clariùs fiat videndæ ſunt conditiones quæ in eo requiruntur.

Nauclerus ille, ſive character debet primò eſſe univerſalis, ut poſſit convenire & plantis jam cognitis, & his quæ de novo detegentur, quàm conditionem cum non habeant aliæ methodi pro inſufficientibus habendæ ſunt.

Secundò character debet facilè videri, quod de primo genere intelligendum eſt, in ſpeciebus enim illud abſolutè non requiritur, quæ beneficio microſcopii ad genera poſſunt reduci; imò ſi aliquod genus daretur ad quod diſtinguendum opus eſſet microſcopio, ſi rectè illius ope diſtingueretur, facilè diſtingui illud dici poſſet, ſed non æquè facilè.

Præter has characteris conditiones ad facilitandam Botanices cognitionem, quæ tàm difficilis, tàmque vaſtè diffuſa eſt, quædam debent obſervari regulæ.

Primò quidem tollenda eſt omnis præoccupatio, quæ ex plantarum ſimilitudine & affinitate oriri poteſt; fallax eſt illa ſimilitudo, nec ei credendum, niſi dùm cum charactere convenit. Scimus quidem quod maxima habenda eſt ratio habitûs plantæ, ita quamvis flores moluccæ notabiliter differant, eas rectè Tournefort. qui charac-

terem à flore deſumpſit non ſeparat; idem dicendum de Trifolio pratenſi purpureo quod florem habet monopetalon & non ſeparatur ab aliis polypetalis; imò pluris faciendum habitum plantæ in plantis flore compoſito, & non ſeparare flores radiatos à nudis, quia ex eodem ſemine oriuntur flores radiati & nudi, ut in Chamæmelo, Matricariâ & aliis accidit; ita quamvis Conyza major & minor Lob. radiatæ ſint non debent ſeparari à Conyzâ folio purpuraſcente flore luteo nudo, quam deſcripſimus in Botanico, propter omninò ſimilem plantæ habitum.

Secundò vitanda ſunt quantum fieri poteſt nova plantarum genera, & niſi cum maximâ neceſſitate augenda, quia magnam rei Botanicæ addiſcendæ confuſionem pariunt. Scimus quidem quod cum ex Indiis novæ deferantur plantæ ab Europæis omninò diverſæ nova excogitanda fuere nomina, ut rectè factum fuit à Breynio, Hermanno, Tournefort. & aliis, ſed hæc generum multiplicatio jam modum exceſſit, ſine ullâ neceſſitate pro Latyro unifolio novum genus creatum eſt, quaſi eſſentia Latyri conſiſteret habere duo folia, cum in cæteris habeat naturalem Latyri habitum; pro quibuſdam levibus in florum Hormini differentiis, duo aut tria genera conſtituta cum habitûs ratione Hormini ſe prodant, quod non factum fuerat in moluccis, ut ſupra diximus.

Cavendum eſt igitur ab hâc inutili generum multiplicatione: quod ſi ea permitti debeat, permittatur ſolummodò pro præſtantiſſimis & illuſtriſſimis viris, ſic quam benè multiplicat genera Tournefort. dum Phelipeam, Fago-

niam, Bignoniam nobis offert; Patres ſunt & Mæcenates ſcientiarum, eorumque nomen vivere debet uſque ad finem ſæculorum.

Tertiò non ſunt danda nova nomina plantis jam nominatis, hæc eſt enim maxima ad diſcendum remora. Quis autem in libris Tournefort. quæret Securidacam peregrinam Cluſ. ſub nomine Pelecini? nomen incognitum quod à Geſn. datum fuerat Securidacæ, numquid in promptu erat nomen Cortus à figurâ Scolopendriæ optimè deſumptum: cur Iridis Bulboſæ nomen cum Græco mutare? Numquid differentia Bulboſæ tollit homonimiam; illud fecerat reſpectu Centaurii majoris, minoris, plantis multò magis diſtinctis.

Illud maximè notandum quod quamvis Tournefort. liberalis ſit in novis generibus ſtabiliendis, plurima ſuppreſſit plantarum genera in medicinâ notiſſima & uſitatiſſima: Aniſum in Apium transformavit; Cuminum & Ammi ſi illi creditur erunt Fœniculi ſpecies; confundit Angelicam cum Imperatoriâ, plantæ in medicinâ maximè in uſu, quamvis differant in radice, foliis, flore & ſemine; hâc methodo poterat omnes umbellas habitâ ſolùm ratione ſeminis figuræ ſub quatuor aut quinque generibus reducere.

Quod ſi non mutanda aut innovanda ſint plantarum nomina, neque etiam nova nomina danda ſunt florum partibus. Tournefort. excogitavit nomen piſtilli ad ſignificandam partem illam quæ medium floris occupat quam Malpigius ſtylum vocaverat, arbitrando quod cum calice & ſuo piſtillo multò facilior fieret plantarum cognitio,

dicendo quod in certis plantis calix abit in fructum, in aliis verò piſtillum abit in fructum: ſuper illud fundamentum ſuam florum diviſionem ſtabilivit, quod tamen ſemper verum non eſſe exemplo Aloës & aliarum declarat; ſed illa diviſio magis obſcurat Botanicam quam dilucidat, tribuendo his partibus uſus quos non habent.

Nam ſuum illud piſtillum in pleriſque plantis nihil aliud eſt quàm ſtylus fructui innatus, ut in Lilio-Convallium & aliis, qui ſiccatur & cadit fructu matureſcente, & eſt vas excretorium fructui innatum: undè debent dici duæ partes, fructus ſcilicet & ſtylus fructui inſidens.

In plantis flore rotato & in labiatis, nihil aliud eſt piſtillum quàm ſtylus placentæ innatus inter quatuor ſemina quæ nec producuntur à piſtillo, nec à calice, ſed à vaſis placentæ.

In floribus leguminoſis piſtillum quod ſupponit, nihil aliud eſt quàm ipſe fructus inter duo floris petala, cum quibuſdam breviſſimis ſtaminibus in ſummitate.

In plantis flore compoſito ſtylus bifurcatus, vaginulâ incluſus ſemini inſidet: ità verum eſt quod fructus & ſemina nuſquam à calice vel piſtillo oriuntur, ſed vel à placentâ, vel à vaſis nutritiis quæ ſub flore & ſemine ampliora fiunt, eaque ſuſtinent & calicis externi vicem gerunt.

Malè etiam ut nobis videtur vocatur piſtillum ille pediculus qui exit è medio quorumdam florum ad fructum ſuſtinendum, ut in Tithymalo, Heliotropio-tricocco & aliis.

Nolumus etiam fructum confundere cum ſemine,

ſed juxtà vulgarem uſum vocare fructum aut capſulam quæ ſemina includunt, ſemina verò quæ nuda ſunt & nullo calice interno operiuntur.

Non decet etiam viros quamvis doctiſſimos ſibi Botanices dominium arrogare, legeſque ſtatuere niſi rectâ ratione ſtabilitas. Doctior enim in hâc immenſâ ſcientiâ quotidie novam acquirit doctrinam: ideò neſcimus quâ ratione moti Raius & Tournefort. ſanxerunt & ſtatuerunt, quod flores qui fructui vel ſemini adhærent, calices ſolummodò ſunt, & inter flores ſtamineos reponendi, undè inter plantas flore ſtamineo habent flores Fagopiri, Biſtortæ, Perſicariæ Nicotianæ folio & alias plurimas quæ pulchriora habent petala, ſtamina & apices quæ omnis homo pro floribus recipiet, & quæ verè flores ſunt, ſed quia non decidunt ſed ſemini adhærent juxta illorum decretum non erunt flores petalodes; ſic flos Granadillæ ab omnibus Botanicis pro flore receptus non erit flos petalodes, quia petala imò & ſtamina non decidunt, ſed circà fructus pediculum exſiccantur; flos Cepæ eſt verus flos albus exapetalos ſine calice externo, & tamen non decidit ſed circa capſulam exſiccatur.

Licet quidem aliquando parum à rectâ viâ diſcedere dum abſoluta neceſſitas cogit, ne ſcilicet pro unâ vel alterâ plantâ omnis methodus corruat, & propter quoſdam naturæ luſus ſeparentur quæ conjungi debent, aut conjungantur quæ ſeparari debent, ſed illud rarò admodum nec niſi cum ſummâ neceſſitate.

Si ſequantur hæ regulæ quas ſuademus & non ſtatuimus, commune illud vitium devitabitur, quo ut jam di-

ximus malè junguntur plantæ quæ ſeparatæ eſſe debent, & è contra ſeparantur quæ ſimul militare debent.

Poſtquam conditiones & regulas pro rectâ methodo ſtabiliendâ propoſuimus, tempus eſt ut noſtrum characterem declaremus quem diximus ex floris parte deſumptum modo priùs omnes floris partes enumeraverimus.

Dum florem dicimus partes omnes florem componentes intelligendæ ſunt, calix ſcilicet, petalum, ſtamen, apex, ſtylus, fructus & ſemen: quæ partes quamvis in omnibus plantis non adſint, debent tamen inter floris partes integrantes numerari. Ex floribus & fructibus, ſive ſeparatìm ſivè conjunctìm ſumptis non poſſe inſtitui univerſalem methodum fateantur omnes neceſſum eſt. Tentavimus calicem, qui vera floris pars eſt, an nobis in hoc maximo ſuſcepto uſui foret, ſed ſtatim inſuperabiles cognovimus difficultates, quæ procul dubiò pleroſque eandem viam meditantes à propoſito diſcedere coegerunt; ſed illud tot modis verſavimus & ita diſpoſuimus juxtà noſtrum intentum, ut ſolus nobis ſufficiat calix pro certo & univerſali charactere, ſub quo ut innuimus omnes plantæ tàm cognitæ quàm in futurum cognoſcendæ facilè & ſine ullâ confuſione diſponentur; quod ſi quædam oriatur difficultas, illud non à caractere, ſed à noſtrâ potiùs ignorantiâ pendebit.

Quamvis autem calix nec pulchritudinem floris habeat, nec fructuum aut ſeminum utilitatem, dicendum arbitramur cùm Tournefort. quod ſi vilior plantæ pars aptior eſſet ad caracterem conſtituendum nobiliori eſſet anteponenda. Rectè etiam dicebat nuſquam florum ideam

perfectam fore niſi daretur nomen generale calici. Dicamus nos quod nuſquam erit idea perfecta plantarum ſine calice eo modo ſumpto quo jam explicabimus.

Vocem calicis non accipimus juxtà vulgarem ſignificationem, ſed nostro uſui accommodando diſtinguimus in calicem externum & calicem internum reſpectu plantarum, quæ diſtinctio nova non eſt, ab antiquis enim Botanicis calix externus perianthium vocabatur, internus verò pericarpium: primus quia flores & ſemina continet, ſecundus verò fructus in quibus ſemina nutriuntur & continentur.

Hoc ſuppoſito dicimus calicem externum eam eſſe floris partem quæ vel involvit florem & ſemina, vel ea ſuſtinet: utimur ex parte definitione Tournefort. quæ commodiſſima eſt ad rectam generum diſtinctionem.

Calix internus eſt capſula vel fructus in quo ſemina continentur & vel flore circumdatur, vel ei ſubjacet.

Juxtà hanc diviſionem facilè innoteſcit nullam eſſe plantam ſine calice. Cum enim detur Valerianæ calix qui florem & ſemen ſuſtinet, eadem ratione debet dari Clematitidi & aliis quæ florem & ſemen eodemmodò ſuſtinent; Tulipæ verò, Lilio-convallium & aliis damus calicem internum qui ſemen continet.

Diximus in definitione calicis externi, quod alius involvit florem, alius eum ſuſtinet. Primus viſu cognoſcitur, ſecundus qui florem ſuſtinet, in hoc diſtinguitur à pediculo, quod ſub flore ampliatur pediculus ut faciliùs tranſeat ſuccus ad florum & ſeminum nutritionem, eſt veluti placenta, quæ uſum habet Hypocrateræ, & quamvis hoc poſſet

etiam

etiam dici de plantis quæ calicem internum imò & externum habent, diſtinctio manifeſta eſt, quod extremitas pediculi ampliati in calice externo & interno cenſenda eſt pars ipſius calicis ſive externi ſive interni; diſtinguentur autem plantæ quæ calicem habent qui ſolummodò ſuſtinet florem & ſemina ab iis quæ calicem internum habent, quod quæ calicem habent qui florem ſuſtinet habeant ſemina nuda, & debent quæri in ſecundâ parte primi libri, aliæ verò quæ capſulam habent aut fructum in ſecundo libro.

Cum plures ſint plantæ quæ ſolum calicem externum habeant, aliæ quæ ſolum internum, aliæ verò quæ utrumquæ externum & internum, Tractatus iſte in tres libros dividetur.

Primus continebit plantas quæ ſolum calicem externum habent, quarum cum duplex ſit differentia, duæ erunt partes primi libri, earum quarum flos à calice involvitur, altera earum quarum flos à calice ſuſtinetur.

In ſecundo libro erunt plantæ quæ habent ſolummodò calicem internum, qui vel fructus eſt, vel capſula, vel ſiliqua.

In tertio plantæ quæ utrumque habent calicem externum & internum methodicè diſponentur.

Primi libri pars prior plantarum quarum calix florem involvit, in plures ſectiones, ſectiones in capita dividentur, juxta florum, ſeminum aut aliarum partium diverſitatem quæ nobis erunt uſui ad genera ſubalterna conſtituenda. Secunda pars primi libri plantarum, quarum calix florem ſuſtinet, plures etiam habebit ſectio-

nes & capita, juxta eandem methodum.

Liber ſecundus erit de plantis quæ ſolum habent calicem internum, quarum differentiæ à floribus, fructibus, imò & foliis deſumuntur.

Tertius & ultimus continebit plantas quæ utrumque habent calicem externum ſcilicet & internum, quæ eâdem etiam methodo diſponentur.

Hæc methodus non eſt intricata, nec difficilis, quia facillimè invenientur plantæ in ſuis locis; habes plantam cum calice externo qui florem involvit: quære in primâ parte primi libri, ſi ſuſtinet ſolummodò florem & ſemen in ſecundâ parte primi libri; quod tamen cum præcautione eſt faciendum, ſunt enim quædam genera plantarum in quibus aliæ florem ſuſtinent, aliæ ſuſtinent & involvunt, ut in quibuſdam umbelliferis, & aliis, quæ ideò non debent ſeparari, quia genus ſupremum nos cogit ſub illo eas reducere; quandò erit cum ſolo calice interno, in ſecundo libro; quando utrumque habebit calicem externum ſcilicet & internum in tertio.

Ad magis facilitandam hanc methodum, non erit neceſſarium figuram calicis examinare an ſit Monophyllos an Polyphyllos, vel alterius figuræ; ſufficit pro noſtro charactere, ut ſit calix externus aut internus; & illud naturâ duce; videmus enim plantas cum calice Monophyllo quarum flores ſunt Monopetali, alii verò Polypetali; videmus è contrariò plantas cum calice Polyphyllo & floribus Monopetalis, alios cum Polypetalis; quod etiam verum eſt de calice interno, ubi non debent diſtingui plantæ ratione loculamentorum; quod nos docet non haben-

dam eſſe rationem ſtructuræ calicis, quæ tamen aliquando inſervire poteſt.

Quamvis autem hæc methodus facillima ſit, quaſdam tamen habet difficultates, quas jam diluere neceſſarium putamus: primò quidem difficile eſt diſtinguere, an partes externæ quorumdam florum ſint petala an verò calices.

Raïus notas quaſdam propoſuit quibus poſſint diſtingui petala à calicibus, colorem ſcilicet elegantem petalorum, texturam & conſiſtentiam teneriorem, & delicatiorem, quodque flos fugax, & minus durabilis ſit, adeòque vaſculi ſeu involucri uſum nuſquam præſtare poſſint; quæ notæ plurimis floribus non conveniunt, primò color viridis eſt in Helleboro nigro, qui æquè dici debet flos ac Helleborus flore roſeo; flos Ariſtolochiæ nec habet pulchrum colorem, nec texturam teneram; flos Xeranthemi per longum tempus durat, & tamen ſunt flores, unde notæ illæ fallaces ſunt.

Sed quamvis verum ſit difficilimum eſſe in quibuſdam plantis diſtinguere an flores habeant petala, an verò calices, illud non deſtruit characterem; ſi ab uno ponatur planta inter flores ſtamineos, ab altero verò inter flores petalodes, ſic Raïus ponit Plantaginem inter flores ſtamineos, Tournefort. inter petalodes; quis illis litem movebit? cum illud ſit purè arbitrarium, modò plantæ ejuſdem ſpeciei non repugnent, unde Helleborus niger flore viridi, debet dici flore petalode, quia non poteſt ſeparari ab Helleboro flore roſeo, cujus flos eſt verè petalodes. Secunda difficultas eſt ratione calicis interni, quia plures

ſunt plantæ , quæ quamvis videantur eſſe ſemine nudo, ſemen illud habet integumentum , undè videtur debere referri ad plantas quæ capſulam habent, hoc eſt calicem internum.

Verum eſt quod dùm illa ſemina apparent ſenſibus nuda quàmvis involucrum habeant, non multùm peccaret qui inter ſemina nuda reponeret , dandum enim aliquid eſt ſenſibus in materiâ tam difficili.

Attamen examinanda ſunt ſemina quæ nuda apparent quamvis involucrum habeant; nam ſi illud involucrum facilè ſeparetur, vel facilè diffringatur, ſemenque nudum relinquatur, in hoc caſu ſemen debet dici habere capſulam; ſic involucra ſeminis Malvæ caryophyllatæ & aliarum facilè ſeparantur, & ideò capſulæ dici debent. Semen Fumariæ facilè rumpitur & ſemen nudum apparet, ſed illa quæ difficillimè ſeparantur, aut dum rumpuntur medulla ſeminis rumpitur, debent inter ſemina nuda reponi, ut Pimpinella, Cerinthe & aliæ; & ea quæ membranam habent interiorem quæ pulpæ non adhæret, ut Cynogloſſum, quæ pro unâ cenſeri debent.

Quod ſi habitus plantæ nos cogeret in aliquibus characterem deſerere, & plantam ſemina cum pulpâ habentia, inter ſemina nuda reponere, ut in Fragariâ quæ toto habitu cum congeneribus jungi debet, illud non magno vitio verteretur, nec accuſandus eſſet character, quia liceret alibi collocare, neque illud mirum videri debet, quod in infinito penè plantarum numero, quædam à recto tramite deflectant, & monſtra dici poſſent, un-

dè aliquando, ut diximus, dandum aliquid eſt ſenſibus & uſui, nec minutiora tantâ curâ exquirere.

Dum plantæ in calice & flore conveniunt, ſi fructus aut capſula differant ſeparabimus quidem, ſed ſubſequenter in capite ſeparato deſcribemus, ut Androſæmum bacciferum, poſt Hypericum, Cucubalum poſt Lychnidem.

In diverſis libris collocabuntur plantæ cum ſolo calice interno, & quæ utrumque calicem habent externum ſcilicet & internum, quamvis in floribus aliqua adſit ſimilitudo, ut Orchides quæ ſolummodò calicem internum habent, ab Orobanche quæ utrumque habet; hoc enim indicat ipſa natura, quæ per diverſas partes voluit illos ſeparare.

Calix externus qui involvit florem & clauditur ad ſeminis maturationem, non debet dici capſula, ut in Betâ & aliis, quia idem eſſet & calix externus & calix internus.

Non diſtinximus plantas pro numero loculamentorum capſularum, vidimus enim quod ſic plures plantæ eſſent ſeparandæ quæ debent conjungi, cum enim ſint differentiæ intùs reconditæ non debent prævalere iis quas videmus; præterea exquiſita illa loculorum perquiſitio multùm retardaret Philobotanos in plantarum cognitione.

Plerique plantarum Scriptores neglexerunt calicis deſcriptionem non agnoſcentes illius neceſſitatem; ideò in hocce Tractatu eas ſolummodò proponimus quas ſedulo deſcripſimus; in tantâ autem plantarum multitudine, ſi irrepſit quidam error facilè condonari debet, neque enim dubitamus quod character noſter quamvis univerſalis

quaſdam habeat maculas, ſed aliis methodis ritè perpenſis pauciores habere cognovimus, & aliis omnibus rationi & ſenſibus eſſe magis accommodatum.

Nolumus generalem plantarum diviſionem proponere, quod ab aliis jam factum fuit, ſed ſi Deus det vitæ uſuram, addemus huic primo Tractatui ſecundum de fruticibus & arboribus; interim utimur nomine plantæ pro herbis & ſubfruticibus. Huncce noſtrum plantarum characterem doctiſſimorum Botanicorum examini ſubjicimus; cognoſcent facilè quod non animo contradicendi excitatus fuerim, ſed veritatem indagandi, & viam inveniendi quâ faciliùs addiſci poſſit ſcientia Botanica, quàm maximè intricatam & difficilem cognoſcimus; eodem tempore fatemur nos plurimùm debere præſtantiſſimis Viris qui ante nos de characteribus plantarum ſcripſerunt, facem nobis præbuerunt ſine quâ vix ac ne vix quidem ad optatum ſcopum perveniſſemus.

SUMMA RERUM QUÆ IN HOC PRIMO TRACTATU CONTINENTUR.

DIviditur iſte Tractatus in tres Libros : Primus erit de plantis cum calice externo : Secundus de plantis cum calice interno : Tertius verò de plantis quæ utrumque calicem habent externum ſcilicet & internum.

LIBER PRIMUS.

De plantis cum ſolo calice externo.

CAlix externus vel florem involvit vel eum ſuſtinet, ut diximus, ideò duæ erunt partes hujuſce primi libri ; in primâ erunt plantæ quarum calix florem involvit; in ſecundâ verò parte plantæ quarum calix florem ſuſtinet, in utrâque parte ſemina debent cenſeri eſſe nuda vel ſolo calice externo involuta : prima pars in decem ſectiones dividitur, ſectiones in capita quæ genera plantarum earumque ſpecies continebunt.

In primâ ſectione erunt plantæ marinæ, fluminum &

aliæ in quarum plurimis detecti ſunt flores & calices, quod ulteriùs curioſi Botanici detegent, modo ad id curam & diligentiam adhibeant.

In ſecundâ, Herbæ capillares, Muſci, Fungi, Tubera in quarum plurimis flores deteximus.

In tertiâ, plantæ floribus ſtamineis dictis.

In quartâ, floribus ſtamineis, quæ habent flores ſteriles & ſeminiferos in eâdem plantâ, & aliæ in diverſis plantis.

In quintâ, floribus ſtamineis, quarum calix eſt ſquammoſus, ut Frumenta, Gramina, Cyperi, &c.

Sexta erit de plantis cum calice externo flore monopetalo, cum uno, duobus aut quatuor ſeminibus.

Septima, de floribus labiatis, quæ tres habebit partes; in primâ erunt plantæ labiatæ, quarum labium ſuperiùs non eſt diviſum; in ſecundâ quarûm labium ſuperiùs eſt diviſum; in tertiâ earum quæ labium ſuperiùs & inferiùs habent ferè æquale.

Octava, plantæ quæ habent ſolummodò inferiùs labium.

Nona, de plantis cum calice externo polypetalis, cum plurimis ſeminibus.

Decima & ultima, de plantis vulgò compoſitis dictis, quæ in quinque partes dividetur: Prima de plantis ſemifloſculoſis cum ſemine pappoſo & aliæ ſemine ſolido; Secunda de plantis flore ſemifloſculoſo & floſculoſo cum ſeminibus pappoſis aut ſolidis; Tertia de plantis cum petalis planis; Quarta de plantis flore floſculoſo cum ſeminibus pappoſis & ſolidis; Quinta de floribus quaſi compoſitis monopetalis aut polypetalis, regularibus aut irregularibus, quarum quilibet flos proprium habet calicem.

SECUNDA

SECUNDA PARS PRIMI LIBRI.

IN hâc ſecundâ parte primi libri diſponentur plantæ quarum calix florem ſuſtinet quæ ſunt ſemine nudo, & habebit quinque ſectiones; Prima plantæ monopetalæ cum uno ſemine; Secunda plantæ monopetalæ cum duobus ſeminibus, foliis radiatim diſpoſitis; Tertia flores pentapetali cum duobus ut plurimum ſeminibus vulgò dictis plantæ umbelliferæ, quæ in varias partes dividetur; In quartâ erunt plantæ polypetalæ cum plurimis ſeminibus ad umbellas accedentes; In quintâ addemus plantas floribus polypetalis & polyſpermis.

LIBER SECUNDUS.

De plantis cum ſolo calice interno.

DIviditur iſte liber in tres ſectiones; Prima erit de plantis bulboſis aut tuberoſis, quarum calix eſt ut plurimùm trigonus, flore monopetalo aut polypetalo, quarum flos calicem involvit, aut eidem fructui ſeu calici interno inſidet.

Secunda, de bulboſis affinibus monopetalis aut polypetalis, regularibus aut irregularibus, quarum flos calicem involvit, aut eidem fructui trigono inſidet methodicè diſpoſitæ.

Tertia, de plantis etiam cum ſolo calice interno qua-

rùm flores ſunt monopetali aut polypetali, regulares aut irregulares, juſto ordine diſpoſitæ, calix autem mollis aut ſiccus, quem flos involvit aut ei inſidet, quæ in plures partes dividetur.

LIBER TERTIUS.

De plantis cum calice interno & externo.

LIber iſte propter maximum plantarum numerum, in quatuor partes dividi debet juxta numerum petalorum florum. Prima erit plantarum flore monopetalo; Secunda plantarum flore bipetalo & tripetalo; Tertia plantarum flore tetrapetalo; Quarta demum flore pentapetalo aut quæ plura habent petala; quibus ſi quis voluerit addat quintam florum compoſitorum, qui utrumque habent calicem quas cum floribus compoſitis junximus in primo libro.

Prima pars florum monopetalorum habebit quatuor ſectiones; Primam plantarum cum duplici calice flore monopetalo regulari cum fructu molli variæ figuræ; Secundam flore monopetalo regulari, fructu ſicco; Tertiam flore monopetalo regulari, fructu cum plurimis vaginis aut ſiliquis; Quartam flore monopetalo irregulari.

In ſecundâ parte erunt plantæ flore bipetalo aut tripetalo quas conjungimus, ob parvum illarum numerum.

In tertiâ ſunt plantæ flore tetrapetalo, quas Tourne-

ſort. vocat cruciformes, cum fructu, capſulis aut ſiliquis, quæ vel florem ambiunt vel flori ſubjacent, quæ duas ſectiones continebit quarum prima in quinque partes dividetur.

Prima erit de plantis flore tetrapetalo fructu molli aut ſicco.

Secunda, quæ ſunt multicapſulares.

Tertia, quarum capſulæ ſepto medio perpendiculari dividuntur.

Quarta, quarum capſulæ ſeptum habent inter duas membranas.

Quinta, quarum capſulæ unicam habent cavitatem

Sectio ſecunda erit de plantis ſiliquoſis, tetrapetalis & 1°. Quæ habent ſiliquam bicapſularem.

2°. Quarum ſiliquæ ſunt articulatæ.

3°. Quarum ſiliquæ habent unicam cavitatem.

4°. Quæ flores habent ſuprà ſiliquam.

Quarta & ultima Pars plantarum cum calice externo & interno floribus polypetalis, in plures partes dividetur.

Prima Pars erit de plantis flore polypetalo regulari, quæ fructum habent rotundum vel oblongum.

Secunda, quæ flores habent polypetalos, fructus cum plurimis vaginis echinatis cum corniculis aut caudatis.

Tertia, quæ flores polypetalos irregulares habent.

Quarta, de polypetalis irregularibus leguminoſis dictis, quæ dividetur in duas ſectiones ratione diverſitatis foliorum aut fructuum.

Prima ſectio erit de plantis quæ folia habent con-

jugatim uni coſtæ adhærentia, quæ tres habebit diviſiones.

Primam quæ ſiliquam habent bicapſularem.

Secundam quæ unicapſularem.

Tertiam quæ articulatam.

Secunda ſectio erit de leguminoſis trifoliatis.

SUMMA RERUM QUÆ IN SECUNDO TRACTATU CONTINENTUR.

DIviditur iſte etiam Tractatus in tres libros, quorum primus erit de arboribus & fruticibus cum ſolo calice externo: Secundus de arboribus & fruticibus cum ſolo calice interno: Tertius de arboribus & fruticibus cum utroque calice externo ſcilicet & interno.

LIBER PRIMUS.

De Arboribus & Fruticibus cum ſolo calice externo.

IN iſto Libro quinque erunt Sectiones; Prima de arboribus Juliferis quæ ſemen in julis ferunt; Secunda de

Juliferis quarum fructus ſeparatus eſt in calicibus ex-ternis; Tertia de arboribus coniferis flore ſtamineo; Quarta de arboribus Piluliferis flore ſtamineo; Quinta de arboribus monopetalis, quarum flores ſunt intra calicem.

LIBER SECUNDUS.

TRes habebit ſectiones iſte liber; Prima erit de arboribus flore monopetalo, fructu alato vel molli; Secunda de arboribus aut fruticibus floribus tetrapetalis, fructu molli; Tertia de arboribus aut fruticibus flore polypetalo, fructu ſicco, & fructu molli.

LIBER TERTIUS.

LIber ultimus in quinque ſectiones dividetur; In primâ erunt frutices & arbores flore ſtamineo, fructu ſicco vel molli; In ſecundâ arbores vel frutices flore monopetalo, fructu ſicco vel molli & flore monopetalo difformi; In tertiâ arbores & frutices flore tetrapetalo; In quartâ arbores & frutices flore polypetalo, fructu molli & fructu ſicco; Arbores quæ flores ex gemmâ producunt, folia verò ex alterâ gemmâ; Arbores floribus polypetalis fructui inſidentibus & flore polypetalo fructu carnoſo ſemper virentes; In quintâ demùm erunt arbores & frutices flore papilionaceo ſiliquoſi.



LIBER PRIMUS.

De Plantis cum ſolo calice externo.

CUm in præcedenti diſcurſu diximus calicem externum, vel florem involvere, vel ſuſtinere, & eſſe inſtar placentæ; dividendus eſt iſte Liber in duas Partes, in quarum primâ deſcribemus plantas quarum calix involvit flores & ſemina; In ſecundâ verò eas quarum calix flores & ſemina ut plurimùm ſuſtinet.

LIBRI PRIMI PRIMA PARS.

De Plantis quarum calix petala & ſemina involvit.

IN iſtâ Libri parte continebuntur plantæ quarum calix externus, qui vera floris pars eſt, involvit petala & ſemina, non habito reſpectu ad ipſum calicem, an monophyllos ſit, an polyphyllos, an clauſus, an apertus. Sufficit enim

pro noſtro charactere ut ſit calix externus, juxta legem naturæ, ut diximus.

Dividetur autem in decem ſectiones. Primam ſectionem incipiemus à plantis quas malè recentiores Botanici plantas imperfectas dixerunt, quia non cognoſcebantur flores & ſemina quæ quotidiè detegimus, undè optimè PETIVER. ex Raii ſinopſi dixit quod non debebant dici plantæ imperfectæ, ſed plantæ minùs perfectæ: nam per ſemina, æquè benè multiplicantur ac perfectiores, ut rectè notat Raius, cujus tamen diviſionem in plantas flore deſtitutas & floriferas probare non poſſumus, tempus enim deteget omnes eſſe floriferas.

SECTIO PRIMA.

De Plantis Marinis, Fluminum, & aliis quarum nondùm perfectè cognoſcimus flores & ſemina.

CAPUT PRIMUM.

Corallum.

INutile eſſet hîc repetere quæ antiqui de Corallo quod Lythodendron vocabant fuſe ſcripſerunt; quæ enim quotidiè in Corallo deteguntur, manifeſtè probant Corallum eſſe plantam, quæ aliarum more vegetat: lac habet ut plantæ lacteſcentes, quo nutritur planta; floret,

quod

quod in lapidibus nondùm viſum fuit, quamvis lapides ſuo modo nutriantur; videntur in fundo maris plantulæ Coralli ſuprà lapides, Ligna, imò & ſuprà cranium humanum, quæ à ſeminibus Coralli, dum calix maturo ſemine aperitur, deciſæ ſunt, & creſcunt ubi adhæſerunt: videntur in ſummitate ramulorum Coralli plurima filamenta, ſive canales in radiorum ſtellæ modo diſpoſiti, qui deferunt ſuccum ad Coralli nutritionem neceſſarium, quo deindè replentur interſtitia, & nutriuntur eodem modo quo fit in aliis plantis.

Nec probanda Boccon. ſententia; qui Obſervat. quadrageſimâ, dicit corticem qui Corallum involvit ſe habere inſtar proplaſmatis, in quo maris unctuoſitas ingreſſa Corallum producit; nec illud convenit cum iis quæ dixit, Coralli nempè nutritionem fieri eo modo quo fit in arundinibus, quæ modo cæterarum plantarum nutriuntur.

Addamus quod Corallum geniculatum J. B. hyppuris ſaxea Cluſ. ſufficienter probant nutritionem fieri eodem modo quo fit in plantis articulatis, ex quibus concluditur pro aliis Coralli ſpeciebus.

Nec audiendi ſunt qui dicunt flores Coralli nihil aliud eſſe quam lac coagulatum, meliùs ſanè dixiſſent flores fieri ex variâ illius lactis præparatione, quod præcipuum eſt Coralli nutrimentum.

Deſcribimus igitur Corallum, plantam duram, ramoſam, lacteſcentem, quæ in mari creſcit, cortice cinereo, ſubſtantiâ rubrâ, cum plurimis calicibus, vel floribus albis, cum octo radiis juxta caulem & ramulos

hæc habemus ex relatione Societatis Regiæ Monſpelienſis; plura cum tempore innoteſcent.

Præcipuæ Coralli ſpecies ſunt.

Corallum Rubrum B. Pin. quod deſcripſimus.

Corallum album Lob. Icon. B. Pin.

Corallum nigrum B. Pin. hæ Coralli ſpecies colore præcipuè differunt.

Non addimus in hoc Tractatu omnes plantarum ſpecies, ſed eas tantum quarum flores examinavimus, aut quæ ritè ab Authoribus deſcriptæ fuerunt, illud aliis perficiendum relinquimus.

Plures ſunt plantæ duræ Corallis affines; quæ in varia capita dividi poterũt, juxtà characteres quos detegẽt curioſi.

Corallo affinis madrepora ſtellata J. B. quæ ut dicit multis cannis ex uno trunco prodeuntibus, & circà ortum ſibi mutuo adhærentibus conſtat, in quarum extremis cavitas apparet, radiis à centro ad circumferentiam productis: in quorum medio ceu floſculus quidam conſpicitur ſegmento plano, &c.

CAPUT SECUNDUM.

Corallina.

CORALLINA J. B. qui eam ſic deſcribit, unciam unam aut alteram, imò tertiam interdùm alta eſt, colore incano cinereoque, alias rubicundo, luteolo aut herbaceo, ramulis numeroſiſſimis, pixidatim geniculatis, gracilibus, pinnulis interdùm èlatere excreſcentibus, odore nauſeoſo, ſapore ſalſo; hujus nondum detecti ſunt flores.

CAPUT TERTIUM.

Androſaces Chamæconchæ innaſcens.

ANdroſaces Chamæconchæ innaſcens B. Pin. vitam agit ſub aquis, inquit J. B. ſtaminibus fili inſtar tenuibus, uncialibus, & ſeſcuncialibus, quorum ſingulorum extremum excipit umbilicus clypeoli circinnatæ rotunditatis, lineolis à centro creberrimis productis ſtriati; color cinereus. In aquis ſalſis ſtagnorum noſtrorum mollem eſſe experti ſumus, ſed extrà aquas dureſcit.

CAPUT QUARTUM.

Lithophiton.

LIthophiton marinum albicans Geſn. Inſt. R. herb. Coralloides fruticoſa planta marina rectior J. B. radicem lapidibus apprimit, & in varios ramos dividitur variæ magnitudinis: inſtar ſubfruticis ſine foliis in mari fruticat, colore & ſubſtantiâ corneâ ſed flexibili, cum cruſtâ lapideâ variorum colorum, undè diverſum ſtatuitur juxtà coloris varietatem, ut videre eſt in Pin. C. B. ſub Corallinæ fruticoſæ nomine.

Habet J. B. Corallum nigrum quod adulterinum & factitium eſſe arbitratur, quia flexile & lentum fuiſſe dicit, illud ad Lithophiton reduceremus; in Lythophito albo ſemina inventa fuiſſe nobis relatum eſt.

CAPUT QUINTUM.

Spongia.

SPongiarum natura (ut ait Imperat.) fungis proxima; de vegetabilium marinorum genere; quarum ſubſtan-

tia veluti ex lanâ compacta, fiſtuloſa ſeu foraminata & undiquè mucagine quâdam membraneâ veſtita. vivunt Spongiæ ſcopulis, teſtaceis, & aliis rebus affixæ.

CAPUT SEXTUM.

Alcyonium.

QUodnam fuerit Alcyonium antiquorum difficile eſt perquirere, cujus variæ deſcribuntur ſpecies: plures etiam habent recentiores inter quas recenſemus Arantium marinum J. B. in noſtro maris littore frequentiſſimum, colore viridi, dum è mari ejicitur, figurâ Arantii inſtar rotundâ, & ſubſtantiâ ſpongioſâ: idem fortè ac Algæ pomum Monſpelienſium ejuſdem; & Alcyonium XII. ſivè Burſa marina B. Pin.

CAPUT SEPTIMUM.

Fucus.

REctè D. Tournefort. duo genera diſtincta fecit Fuci, & Algæ, quæ foliis maximè differunt, imò plura erunt conſtituenda, ſi cum tempore curioſorum induſtria flores & ſemina detexerit, ſicut in plurimis Fucis detecta ſunt ſemina, quos ideò ſeminiferos vocant.

Fucus maritimus, vel Quercus marina veſiculas habens B. Pin. foliis eſt latis, oblongis, mollibus, & multifidis, cum plurimis veſiculis aquâ plenis, folia in aquâ viridia ſunt, exſiccata nigreſcunt.

Fucus fluviatilis, aculeatus, undulatus Inſt. R. herb.

Fluvialis piſana, foliis denticulatis J. B. in quâlibet folii alâ eſt ſemen membranâ involutum, primò viride, quod deinde nigreſcit; figuræ & magnitudinis ſeminis Lolii, quod malè nodulum oblongum vocat J. B. hunc dedit mihi cum ſemine, D. Niſſolle D. M. Botanicus peritiſſimus collectum in foſſis aquarum circà aquas mortuas vulgò Aigueſmortes.

CAPUT OCTAVUM.

Alga.

ALga anguſtifolia vitriariorum J. B. radices habet ut gramen geniculatas: folia longa, anguſta, quæ intùs replicantur, ita ut duæ margines ſe tangant; intrà hanc plicaturam naſcitur folium quod veluti ligula & placenta eſt, cui per longitudinem plura ſemina, vel capſulæ adnaſcuntur, una poſt aliam, octo vel decem, figuræ & magnitudinis ſeminis Lolii cum caudâ, initio virides, deindè nigræ. aliam Algam gramineam ſeminiferam habet Raius, quàm à noſtrâ deſtinguit contrario ſitu ab Epiphylloſpermis, iſtæ ſuum ſemen producunt, & fortè diverſo modo.

Credit Boccon. ſemina plantarum marinarum fieri à maris unctuoſitate Obſ. quadrageſimâ primâ, & eſſe plana, & flexilia; contrarium probant ſemina jam deſcripta, & quia diverſæ ſunt plantæ marinæ, ſemina habere diverſæ figuræ probabile eſt.

Alga viridis capillaceo fol. B. Pin. conferva Plin. Lob. con. creſcit in aquis, eſtque congeries filamentorum vi-

ridium, in quibus invenimus plurima capitula ſimul juncta, ut videre eſt in Cuſcutâ, quæ vel ſunt ſemina vel ſeminum conceptacula; quidquid dicat Bocc. qui nullum ferre ſemen dicit Obſ. 41.

SECTIO SECUNDA.

De Plantis Capillaribus dictis, Muſcis, Fungis, & Tuberibus.

PLantæ hujus Sectionis à plurimis Botanicis imperfectæ dictæ ſunt, quia floribus & ſeminibus deſtitutas credebant, ſed quotidiè flores & ſemina in pleriſque deteguntur; undè ſperare licet, quod Botanicorum hujuſcè ſæculi diligentiâ ab imperfectionis nomine vindicabuntur.

Tres habebit partes iſta Sectio; prima erit de herbis capillaribus propriè dictis; ſecunda de capillaribus impropriè dictis; tertia de muſcis, fungis &c.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS I^a.

De Capillaribus propriè dictis.

CAPUT PRIMUM.

Adiantum.

ADiantum foliis coriandri B. Pin. Capillus veneris verus. adnaſcitur in puteorum, fontium, & ſpec

vum parietibus aquâ madentibus. Caules plurimi ſunt nigri in ramulos diviſi; folia lævia, mollicella, tenera, Aniſi foliis, ut ait Lob. æmula, inordinatim poſita, in marginibus cæſa, in extremis foliorum oriuntur plures flores, vel membranæ apertæ, averſâ folii parte aglutinatæ, albæ, pellucidæ, que ſenſim à parte infernâ ad ſupernam plicantur, & calicem clauſum efficiunt, in quo ſemen pulverulentum continetur. Calices illi aut veſiculæ ſeminales, ut dicit Raius, faſciolis vermiformibus alligantur, quæ dum maturo ſemine diſrumpuntur diſſilit ſemen, & quoquoverſum ſpargitur, ut in Cardamine, & aliis plurimis plantis, fortè ſine ullâ vi elaſticâ.

Adiantum album Taber. Ruta muraria B. Pin. calices totum dorſum occupant albi; ſemina nigra obſervavimus.

CAPUT SECUNDUM.

Aſplenium, ſivè Ceterac.

ASplenium ſivè Ceterac J. B. plurima habet folia falcata, utrinque inciſuris Polipodii, pinguiuſcula, ſupernè viridia, infernè ruffa, veluti farinâ aſperſa: ſeminales efflorescentiæ, inquit Raius, ab aliis omnibus diverſæ apparent jucundiſſimo ſpectaculo, ſiquidem hæ veluti membranulæ quædam tenuiſſimæ quales ſunt muſcarum alæ obſervantur, variis figuris, ut ita dicam, reticulatæ, inter quas veluti in totidem cellulis vaſcula ſeminalia diſponuntur; ex quibus inferimus flores & ſemina in Aſplenio produci.

CAPUT TERTIUM.

Polytrichum.

POlytrichum ſive Trichomanes J. B. folia habet ſubrotunda, utrinque quaſi per conjugationes coſtæ innata; In iſto capſulæ ſeu calices aperti totum ferè folii dorſum occupant, & clauduntur quouſque ſemen maturum ſit.

CAPUT QUARTUM.

Polypodium.

POlypodium vulgare B. Pin. flores invenimus menſe Septembri; in unâquâque averſâ parte foliorum duo ſunt ordines acervulorum florum cum calicibus qui ſeparati ſunt, quilibet acervulus flores habet luteos, eo ferè modo diſpoſitos quo ſunt in floribus compoſitis, quodque facilè videri poteſt. Semina dicit Raius eſſe lutea, reniformia, an verò ſint capſulæ ſeminales. flores habere Polypodium quis negabit? undè ruit illa diviſio plantarum quæ flores non ferunt, ſed ſemina. Veriùs dicimus nullum eſſe ſemen niſi prævio flore.

CAPUT QUINTUM.

Filix.

DIvidimus Filicem in ramoſam & non ramoſam, quas tamen ſub eodem capite ponimus.

Filix ramoſa major pinnullis obtuſis non dentatis B. Pin.

Pin. Filix fœmina Dod. plurimi florum calices in marginibus pinnularum conſpiciuntur, qui dum clauduntur pinnularum extrema retrahunt, ut dentatæ videantur, ut fit in Adianto, & in illis ſemen matureſcit.

Filix floribus inſignis J. B. florida Parkin. In iſtâ Filice Caulis ſcapus in Surculos aliquot diviſus, racemulos unciales in ſingulis ſurculis ſuſtinet, in quibus, ut dicit Tragus, flores ſunt copioſi, candidi, quod à nullo alio viſum fuit. Vidimus nos in illis racemulis plurimos calices, qui in duas partes aperiuntur, & in quibus ſemina continentur: licet autem flores & ſemina in extremitate foliorum producat, ab aliis Filicibus non eſt ſeparanda, quas toto habitu refert; illud ſolum-modo ad differentiam, non ad genus novum conſtituendum inſervire debet.

Filix non ramoſa dentata B. Pin. mas Dod. verno tempore in iſtâ Filice plures calices aut flores in aversâ pinnularum parte bino ordine diſpoſitos obſervavimus, apertos, virides, variè plicatos; in medio ope Microſcopii videbantur confusè aliquæ particulæ: dum clauduntur illi calices globulos oblongos repræſentant, repletos ſeminibus minimis, rotundis, lucidis, veluti parvis Margaritis.

Quia Lonchitis toto habitu Filicem refert, dici poſſet Filix auriculata, nè multiplicentur genera.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS II^a.

Capillares impropriè dictæ.

PLantæ quas hìc deſcribimus, cum propriè Capillares, dici non poſſint, eas Capillares impropriè dictas

vocabimus, quia ad illas accedunt; quarum aliæ ſicut Capillares propriè dictæ ſemen in dorſo ferunt, aliæ racemulum, aliæ vero capitellum.

CAPUT PRIMUM.

Lingua Cervina.

LIngua Cervina officinarum B. Pin. Phyllitis Matth. folium habet ſimplex, longum, quod aversâ parte plures habet areolos obliquos, ex pluribus calicibus argenteis compoſitos, qui maturo ſemine in duas partes aperiuntur, & ſemen effundunt, quale in Filice diximus.

Cum Hemionitis à Linguâ Cervinâ tantùm differat, quod ad baſim duas auriculas habeat, novum genus conſtituendum non eſſe meliùs duximus.

CAPUT SECUNDUM.

Lunaria Racemoſa.

LUnaria Racemoſa minor, vel vulgaris, B. Pin. ex pediculo juxta infimam folii conjugationem exit Racemulus qui acinos habet congeſtos, & qui calices ſeu flores dici debent, in quibus ſemina nutriuntur; contra quod dicit J. B. nec flores, nec ſemina ferre: potiùs dubitare debebat cum Cluſ. de Ramosâ Lunariâ loquente, an flores, an fructus dici debeant. Raius in Synopſi inter notas Lunariæ minoris ponit floſculos & ſemina, ſed non deſcribit.

CAPUT TERTIUM.

Ophiogloſſum.

OPhiogloſſum vulgatum B. Pin. quà folium pediculo committitur exit ligula bifurcata, non tamen ſecta, limæ Aurifabrorum effigie. Seminis loco, inquit Camerar. eſt tenuis quaſi pollen in linguæ inſertionibus, è quibus per maturitatem excidit; indè patet illum pollinem nihil aliud eſſe quàm ſemen in capſulis contentum, quidquid dicat J. B.

CAPUT QUARTUM.

Lichen.

LIchenis ſpecies, aliæ lapidibus, aliæ arboribus innaſcuntur, aliæ aquis innatant.

Lichen petræus latifolius, ſive Hepatica fontana B. Pin. è radice, inquit Lob. Obſ. ſuccum è ſaxis lingit, quibus folia arctè totâ ſuperficie ſquamatim ſibi incumbentia adhærent, quaſi agglutinata, virentia, craſſa, laciniis lactucinis ſinuata; cum floſculis pluribus albis, radiatis, quos Junio & Julio menſibus profert.

Deſcribit J. B. fortè aliam ſpeciem, cujus pediculi florem ſuſtinent ſtellatum, herbacei coloris, qui exprimit parvum galerum ſuis radiis deorsùm nutantibus.

Fabius Colum. Lichenem habet calceatum, in quo Idibus Martii ſupra caulem emicat pilula Orobi magnitudinis, atrovirens, lucida, parum luteſcens, atque in florem dehiſcens luteum quatuor foliolorum, intùs con-

tinentem plurima tenuiſſima atque impalpabilia ſemina.

Lichen parvus in corticibus arborum, humilis, repens, foliolis ſubrotundis ſquamatim incumbentibus Raii Synops. E ſquamis exeunt breviſſimi pediculi capitula ſuſtinentes, quæ in quatuor ſegmenta dehiſcentia floſculum tetrapetalum referunt colore rubente.

Lichen Dioſc. & Plin. ſecundus colore cinereo Colum. à pleriſque Botanicis muſcis annumeratur; ſed cum aliorum Lichenum ritu arboribus, & ſaxis radicum Capillamentis adhæreat, quibus arbores cruſtæ modo induuntur, coriaceus, durus, denſus, anfractuoſus, ad oras criſpus, ut & variorum colorum, juxta naturam arborum è quarum ſucco nutritur, meliùs ad Lichenes refertur. Menſe Februario obſervavit in illo Fabius Colum. acetabula quædam Milii magnitudinis, colore luteſcentia, veluti botrulos muſcoſos, duros, parum eminentes, coacervatos, albentibus oris, ſine ſeminis veſtigio: obſervavimus nos innumera hujuſcemodi acetabula in Lichenibus altarum arborum juxta lacinias, & non dubitamus quin ſint calices florum, in quibus ſemina producuntur; quod non vidit oculatiſſimus Colum.

Lichen aquis innatans. Lenticula paluſtris vulgaris B. Pin. ſtagnantium aquarum incola Lenticula eiſdem innatat, ait J. B. totam ſuperficiem denſiſſimo foliorum infernè nigricantium, supernè virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentiſque modo compreſſorum ſtipatu obtegens.

In Lenticulâ paluſtri quadrifoliâ B. Pin. dicit Raius, quod circa ramulorum divaricationes, pediculorumque

exortus numeroſa ſemuncialibus pediculis nixa cohærent grana nigra, dura, Lentibus majoribus paria, quæ nihil aliud ſunt quàm ſemina vel ſeminum involucra.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS III^a.

CAPUT PRIMUM.

Muſcus.

MUſci, Lichenes, aliæque hujuſmodi plantæ deberent diſtingui ſub diverſis capitibus, cum aliæ calices ſupra pediculos producant, aliæ verò non; ſed quouſquè diligentioribus Botanicorum obſervationibus flores fuerint detecti, aliorum diviſionibus nobis eſt inſiſtendum.

Detecti ſunt in plurimis Muſcis calices, imò & antheræ coloris aureo-ſulphurei, in Muſco clavato foliis cupreſſi B. Pin. ut obſervavit Raius in Synopſi; undè ſperandum eſt quod in aliis flores etiam detegentur, cum verum ſit omnes ſemine propagari; quod ſi adſit ſemen, difficilè poteſt negari florem præceſſiſſe.

Muſcus filici-folius, ſeu pennatus aquaticus maximus Raii. ex coſtâ mediâ exeunt pediculi capitula ſuſtinentes perbrevia, minima, fuſca, ſplendentia.

Muſcus clavatus, ſive Lycopodium Ger. pediculos emittit in cacumine clavatos, clavis julos imitantibus, pulviſculo tenuiſſimo flaveſcente refertos.

Muſcus arboreus cum orbiculis B. Pin. orbiculi illi

nihil aliud ſunt quàm calices ſemine pleni.

Muſcus Capillaris minor capitulis erectis vulgatiſſimus Raii Synops. Pediculi è foliorum medio exeunt capitula ſuſtinentes erecta, ſublonga, operculo acuto, nonnihil reflexo tecta: quis non videt hæc capitula calices eſſe qui floris partes ſunt, ut anteà diximus.

CAPUT SECUNDUM.

Fungus.

CUm Fungi multum in figurâ differant, diverſa capitula poſſunt conſtituere; alii enim pileolum habent ſupra pediculum, alii nullum habent pediculum, alii verò nullum pileolum. Qui pileolum habent & pediculum, alii ſunt lamellati, alii poroſi, alii infundibuliformes, alii cancellati. Qui nullum habent pediculum, aut nullum pileolum, ſunt etiam variarum figurarum.

Dividuntur prætereà fungi ratione virtutum, in noxios & eſculentos.

Deſcribit Mentzelius, Fungos calici-formes ſeminiferos: ſemina dicit eſſe Lentis magnitudinis, quæ ſunt potiùs ſeminum calices. Dicit etiam Raius, inventa in Fungis ſemina formam ſeminis Alceæ Ægiptiacæ exprimentia, de quibus idem arbitrandum.

Refert etiam Boccone, ex aliorum relatione, quod ubi creſcunt Fungi, ſi paucâ quantitate relinquantur Fungi in loco ubi creſcunt, paucos anno ſequenti emergere; quod indicium eſt deficiente ſeminis quantitate minorem eſſe Fungorum proventum.

Vidimus nos Autumno in Fungorum ſuperficie veluti parvos calices in quatuor aut quinque partes parum diviſos, cum materiâ quadam albidâ, quæ deinde nigreſcebat. Negligens Botanicorum curioſitas in causâ eſt, quod nondum plura detecta fuerint.

CAPUT TERTIUM.

Tuber.

TUbera Math. rectè inter plantas collocantur, manifeſtè enim vegetant, ſub terrâ latitant, ideò difficilè eſt eorum flores & ſemina invenire. Figuram habent inæqualem cum plurimis tuberculis, aliquando ferè globoſam; cortice rugoſo, nigreſcente; ſubſtantiâ in principio albâ, deindè ex albo & nigro variâ. Menſe Octobri aperto tubere, invenimus ſubſtantiam albo-ſordidam, cum plurimis membranulis albis, lucidis, quæ flores dici poſſunt ut in Adianto, in quibus deindè producitur ſemen.

SECTIO TERTIA.

De Plantis cum Calice externo, & Flore ſtamineo.

FLores ſtaminei è calice, & ſtaminibus componuntur; dicuntur etiam Apetali, quia foliis florum (quæ vulgò petala vocantur) carent: ideò Perſicariam, Biſtortam, Fagopyrum, & alias plantas à floribus ſtamineis exclu-

demus, quia veros habent flores, quamvis ſeminibus adhæreant: undè licet Raius ad flores ſtamineos reducat, rectè in ſuâ tabulâ ſubjungit plantas ſemine triquetrò, aliter & fortè commodiùs diſtingui poſſent florum reſpectu in eas quæ ſunt floribus, &c.

CAPUT PRIMUM.

Beta.

BEta alba, vel palleſcens, quæ Cicla officinarum B. Pin. quoſdam habet flores in capitulum congeſtos, cauli per intervalla adnatos; unuſquiſque calicem habet quinque-folium, cum quinque ſtaminibus, apicibus luteis: calices deindè clauduntur & dureſcunt, ità ut non poſſint niſi vi aperiri; in quolibet calicè reperiuntur unum aut duo ſemina.

CAPUT SECUNDUM.

Atriplex Sylveſtris.

ATriplicis duo nobis genera ſtabilienda ſunt, unum quod flores ſtamineos, & ſemina intra unum calicem producit, de quo jam loquemur; aliud quod flores à ſeminibus ſeparatos habet, de quo infrà. Nec metuenda homonimia, cum ſufficiens addatur differentia, quod rectiùs arbitramur quàm nomina immutare, quod majorem affert in re Botanicâ difficultatem.

Atriplices ſylveſtres, aliæ flores in racemulos, aliæ verò cauli adhærentes habent.

Atriplex

Atriplex Sylveſtris folio ſinuato candicante B. Pin. pediculos ſecundum Caulem producit, in quibus flores racematim oriuntur. Calix floris in quinque partes dividitur, cum ſtaminibus, & apicibus; dum clauditur arctè partes connivent, & ſtellam quinque radiorum repræſentant, in quâ continetur unum ſemen orbiculare, nigrum, & ſplendens.

Atriplex Sylveſtris altera acutiore folio B. Pin. raccemulos & flores eodem modo producit, ſemina nigra, orbicularia.

Atriplex Sylveſtris, Bonus Henricus dicta. Flores racemoſi; calix quinque-folius; quinque ſtamina, cum apicibus luteis diviſis; ſemina parva, nigra.

Atriplex fœtida B. Pin. flores etiam profert racematim; ſemen orbiculare, nigrum, lucidum.

Atriplex Ambroſioides. Botrys Ambroſioides vulgaris B. Pin. flores fert ſtamineos in racemis; ſemen nigrum, orbiculare, calice involutum, lucidum. Si quis Botryn ſub alio capite referat, per nos licet.

Atriplex odorata Mexicana. Botrys Ambroſioides Mexicana B. Pin. flores cauliculis adhærent ſtaminei; ſemen orbiculare, nigrum, lucidum.

Atriplex Sylveſtris linariæ fol. Linaria ſcoparia B. Pin. calices habet cauliculis adhærentes, in quinque partes diviſos; ſtamina & apices; ſemen calici incluſum orbiculare, nigrum, lucidum.

Atriplex maritima folio tereti craſſo. Kali minus ſemine ſplendente B. Pin. calices juxta cauliculos plures in quinque partes diviſi; quinque ſtamina; apices lu-

g

teſcentes ; ſemen in calice orbiculare, nigrum, lucidum.

CAPUT TERTIUM.

Salicornia.

SAlicornia Dod. Kali geniculatum majus B. Pin. è ſquamis pyxidatim geniculatis emergit veluti tubulus luteus, quadrangularis, in quatuor partes in ſummitate diviſus; fortè ſunt quatuor apices lutei ſimul juncti, quod ob parvitatem diſtingui non poteſt ; ſemina producit ſub ſquamulis, quibus areſcentibus decidunt.

CAPUT QUARTUM.

Blitum.

BLitum album minus B. Pin. flores in Caule coacervati in quibuſdam ſpeciebus in cacumine velut in ſpicam diſpoſiti ; calix floris albicans cum quinque lineis viridibus æqualiter diſtantibus & acutis ; quinque ſtamina ; apices lutei, longi, in duas partes diviſi : clauduntur partes albæ calicis, & maturo ſemine tranſverſim aperiuntur, & effundunt ſemen nigrum, lucidum, orbiculare ; quinque partes calicis virides, acutæ, rectæ remanent.

Blitum folio variegato. Amaranthus tricolor ad. Lob. toto habitu Blitum refert. Calix in quinque partes acutas dividitur quæ rectæ remanent ; quinque ſtamina. Videntur etiam quinque foliola anguſta, alba, variè contorta, quæ ſtamina poſſent dici. Si quis tamen petala eſſe voluerit, inter flores petalodes reponat.

CAPUT QUINTUM.

Herniaria.

HErniaria Dod. minutula hæcplanta à variis variè deſcribitur. Calicem habet villoſum in quinque partes diviſum, vel quinque-folium, quod ritè obſervari non poteſt; quinque brevia ſtamina, & apices lutei; ſemen habet ſolitarium, nigrum, lucidum, rotundum, Calici villoſo incluſum. Addit Vvolkamerus Calicem per maturitatem horizontaliter rumpi.

Herniaria glabra I. B. &c.

Herniaria fruticoſa viticulis lignoſis B. Pin. eodem modo ſe habent.

Herniaria argentea procumbens. Paronichia Hiſpanica Clus. Calix, ſtamina, & apices ejuſdem ſunt ferè formæ & coloris. Calices verò circumdant plurima folia argentea.

Herni aria alſines-folia Inſt. R. Herb. Anthyllis maritima alſine-folia B. Pin. Calicem habet album, in quinque partes diviſum, cum quinque lineis viridibus ſecundum longitudinem.

Herniaria foliis longis, anguſtis, acutis & glabris. Camphoratœ congener B. Pin. in articulis juxta Caulem Calicem habet lucidum, in quinque partes diviſum, in quo continetur unum ſemen orbiculare, nigrum, Calice involutum; folia circum habet parva, anguſta, argentea, nec flores, nec ſtamina videre potuimus.

CAPUT SEXTUM.

Camphorata.

CAmphorata Monſpelienſium I. B. Calix juxta Caulis articulos in quatuor partes dividitur, cum quatuor ſtaminibus albis, & apicibus roſei coloris in quibuſdam, in aliis verò luteis, cum ſemine nigro, oblongo; flores glomeratim naſcuntur ad Caulis articulos.

CAPUT SEPTIMUM.

Alchimilla.

ALchimilla vulgaris B. Pin. non mirum ſi ob parvitatem florum & ſeminum hujuſce plantæ variè ab Authoribus deſcripta fuerit, alii unum ſemen, alii duo, alii plura tribuentes. Calicem habet in octo partes diviſum, quatuor majores, quatuor intermedias minores; quatuor ſtamina; quatuor apices rubeſcentes, ſtilo in medio qui oritur ex parte Calicis inferiori infundibuli formi.

Aſarum, Parietariam, Vrticam, & alias plantas quæ flores tantum ſtamineos haberea à botanicis cenſentur alibi collocabimus, quia flores habent petalodes.

SECTIO QUARTA.

De Plantis flore ſtamineo.

ISta Sectio in duas partes dividi debet. Prima erit de plantis flore ſtamineo cum Calice externo, quarum

flores alii ſunt ſeminiferi, alii verò ſteriles in eadem plantâ. Secunda de Plantis flore ſtamineo ejuſdem generis, quarum in diverſis plantis flores ſunt ſeminiferi, in aliis verò ſteriles.

SECTIONIS QUARTÆ PARS I[a].

De Plantis cum Calice externo flore ſtamineo, quarum aliæ ſunt ſeminiferæ, aliæ ſteriles in eadem plantâ.

CAPUT PRIMUM.

Atriplex.

SEparavimus Atriplicem ſylveſtrem ab iſtâ additâ differentiâ ad vitandam novorum nominum multiplicationem, quia & floribus, & ſeminibus differunt.

Atriplex hortenſis alba ſivè pallidè virens B. Pin. Calices ſunt variæ figuræ; unus conſtat duplici membranâ quæ involuit unicum ſemen planum, rotundum. Alter quinque habet angulos, & ſemen etiam includit: inter hos duos Calices ſunt quatuor, aut quinque parvi tubuli lutei conjuncti.

Atriplex fructu roſeo compreſſo B. Pin. Calices non ſeminiferi in quinque partes dividuntur, cum quinque parvis tubulis luteis in ſummitate quinque partitis. Alii Calices ſeminiferi pulchrè ſunt fimbriati, aut denticulati, & continent ſemen.

Atriplex anguſto oblongo folio B. Pin. eodem modo ſe habet, ſed tubuli rubeſcunt.

Atriplex maritima anguſtiſſimo folio. Moriſſ. Halimus ſeu portulaca marina B. Pin. Calices non fructiferi quinque habent foliola; decem ſtamina, & apices luteos. An novum Caput debeat conſtituere.

CAPUT SECUNDUM.

Ambroſia.

AMbroſia maritima B. Pin. flores habet varios in eadem plantâ, inferiores juxta Caulem in Calicibus villoſis, anguloſis & echinatis, ex quibus, dum aperiuntur, exeunt ſtamina quæ veri flores ſtaminei dici debent, quia in illis Calicibus ſemen perficitur. Alii verò flores ſuperiores ſpicati non ſunt fructiferi; Hi Calicem habent & quoſdam tubulos qui ſunt potiùs vaſa excretoria, vel ad alios uſus deſtinata, nec merentur nomen floris compoſiti, cum non producant ſemen: alioquin flores Atriplicis eodem jure flores compoſiti dici deberent. Hos autem dicimus pſeudo flores.

CAPUT TERTIUM.

Xanthium.

XAnthium Dod. idem dicamus de Xanthio, quod de Ambroſiâ, varios habere flores in eadem plantâ, quorum alii ſemen ferunt, alii vero ſunt ſteriles. Proliferi Calicem habent echinatum, lappaceum, qui in duos acutos rigidoſque mucrones deſinit; in cujus ſummo apparent quædam ſtamina quæ veri flores dici debent. Flos autem ſterilis ad

latera oritur, & Calicem habet in plures partes diviſum, cum plurimis tubulis in quatuor aut quinque partes diviſis; cum apicibus ferrugineis, in ſummitate luteis. Flos autem ille pro caractere ſumi non debet, ſed flos ſtamineus prolifer, in cujus Calice duo ſemina continentur.

CAPUT QUARTUM.

Ricinus.

RIcinus vulgaris B. Pin. flores fert racematim & diverſæ figuræ. Inferiores habent Calices virides, in quinque partes diviſos; cum plurimis ſtaminibus & apicibus ex foliolis albo-luteis compoſitis. Superiores verò è Calice muricato & echinato, ſupra quem tres ſtyli ſanguinei, criſpique emicant, & hic eſt verus flos in quo continentur tria ſemina Ricino animalculo ſimilia. Neſcimus quomodo potuit Tournefort. in eadem ſectione miſcere plantas toto genere diverſas, ut Lacrymam Jobi, Cyperoidem, &c.

SECTIONIS QUARTÆ PARS II[a].

De plantis cum Calice externo, floribus ſtamineis ejuſdem generis, quarum in diverſis plantis flores ſunt ſeminiferi, in aliis vero ſteriles.

CAPUT PRIMUM.

Spinachia.

SPinachia alia ſemen habet ſpinoſum, alia lævè. Utraque in diverſis plantis florifera & fructifera, vel ſolum florifera.

Spinachia ſemine Spinoſo B. Pin. Calicem habet aculeatum cum duobus aculeis, & cum plures ſint Calices ſimul juncti, plures etiam viſuntur aculei. Inter duos aculeos emergunt quatuor apiculi, ut dicit Raius, unde florem ſtamineum habere manifeſtum eſt. Calix qui in duas partes dividitur, continet ſemen quaſi reniforme.

Spinachia ſemine non ſpinoſo B. Pin. Calices etiam conglobati, rotundi, non ſpinoſi; cætera eodem modo ſunt.

Spinachia ſterilis B. Pin. è Calice quadrifolio, inquit I. B. purpurantes exeunt apiculi in longis racemis orti.

CAPUT SECUNDUM.

Cannabis.

CAnnabis fœcunda Dod.

Cannabis ſterilis Dod. diſtinguitur etiam Cannabis in floriferam & ſeminiferam: quæ flores profert Calicem habet quinque-folium, totidem ſtamina, & apices ſubluteos. Fœcunda ſemina profert juxta caulem. An ſtamina habeat non licuit obſervare.

Cannabis lutea maxima cretica Bell. Pon. Cannabis lutea cretica Proſp. Alpin. ad Cannabim accedit. Similiter alia ſterilis eſt, quæ ſecundum caulem ex brevibus pediculis Calices profert quinque-folios, ſtamina brevia, apices longos, rectos, ſtriatos, luteſcentes. Seminifera vero, ut dicit Pon. capſulas fert Reſedæ ſimiles.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Mercurialis.

MErcurialis ſpicata B. Pin.

Mercurialis teſticulata B. Pin. in ſpicatâ Calix eſt trifolius cum plurimis ſtaminibus albis, & apicibus luteo-vireſcentibus. Teſticulata ſecundùm Caulem juxtà folia duos teſticulos producit, cum duobus foliolis albis, in ſummitate fimbriatis, qui veri flores dicendi ſunt; in quolibet teſticulo eſt unum ſemen.

Mercurialis montana ſpicata & teſticulata eodem modo ſe habent.

CAPUT QUARTUM.

Phyllon.

PHyllon ſpicatum B. Pin.

Phyllon teſticulatum B. Pin.

Quamvis Phyllon & Mercurialis in plurimis conveniant, habitus tamen plantæ Caput proprium meretur.

Phyllon ſpicatum Calicem habet in plures partes diviſum, cum ſtaminibus, & apicibus qui nigreſcunt.

Phyllon teſticulatum duos habet in quolibet latere teſticulos, cum duabus ligulis in parte ſuperiori luteſcentibus; unuſquiſque teſticulus ſemen continet.

CAPUT QUINTUM.

Lupulus.

LUpulus mas & fœmina I. B. ſativam & ſylveſtrem dicit Lob. qui culturâ tantum differunt. Recentiores

botanici faciunt unum floriferum, alium verò ſeminiferum. Quidquid ſit Lupulus habet Calicem viridem, quinquefolium, cum quinque ſtaminibus & apicibus longis, rectis, viridibus: ſemina producuntur intra ſquamas compactiles ſtrobilorum inſtar laxas, quæ nihil aliud ſunt quam Calices ſeminum ex luteo-virides. Inter quaſlibet ſquamas eſt unum ſemen ruffum.

CAPUT SEXTUM.

Equiſetum.

EQuiſetum paluſtre brevioribus ſetis B. Pin. juli floriferi aut aſparagi verè erumpunt, antequam Caules folioſi erumpant, ut habet Raius. Juli autem ex pluribus Calicibus componuntur nigris in quatuor aut quinque partes diviſis, qui dum aperiuntur effundunt pulverem luteſcentem. I. B. dicit quod dum illa Capita ſeu Calices aperiuntur floſculi apparent ex fuſco-albidi. Tournefort. plurima ſtamina tribuit, vultque diverſis ſpeciebus innaſci, & quæ fructus producunt non eſſe floriferas. Examinandum aliis relinquimus an ſic ſe habeant.

SECTIO QUINTA.

Plantæ cum Calice externo ſquamoſo & floribus ſtamineis.

ISta Sectio in tres partes dividetur. Prima erit de Cerealibus. Secunda de Graminibus. Tertia de Cyperis. In pri-

mâ & ſecundâ parte plantæ Caules habent articulatos, in tertiâ enodes.

SECTIONIS QUINTÆ PARS I[a].

De Cerealibus flore ſtamineo.

PLantæ quæ in iſtâ Sectionis parte continentur, aliæ ſunt ſpicatæ, aliæ paniculatæ : Rursûs aliæ grano majore, aliæ grano minore, ariſtatæ & non ariſtatæ.

Cereales ſpicatæ grano majore.

CAPUT PRIMUM.

Triticum.

TRiticum hybernum ariſtis carens B. Pin. ſtamina habet & apices intra triplicem glumam, quæ illius eſt Calix ſecundum ſpicam, quibus ſuccedit ſemen.

Triticum ariſtis longioribus ſpicâ albâ B. Pin. ſtamina & apices inter glumas ariſtatas producit, per quas præcipuè differt à priori. Quod autem Triticum aliud ſit ariſtatum, aliud ſine ariſtis, illud non terræ bonitati, ſed diverſæ ſpeciei tribui debet, cum in eodem agro ariſtatum & ſine ariſtis quotidie obſeruare liceat.

Triticum ſpicâ multiplici B. Pin. glumæ ſtriatæ ſunt; apices albi in medio diviſi.

CAPUT SECUNDUM.

Secale.

SEcale I. B. ariſtas habet breves, aliquot ſtamina, cum apicibus luteis, laxis, glumis incluſis; granum ſtrigoſius & tenuius tritico.

CAPUT TERTIUM.

Hordeum.

HOrdeum poliſtichon I. B. ſpica longis aſperatur ariſtis; ſtamina & apices glumis involvuntur, quæ maturo ſemine ita arctè adhærent, ut vix triturâ deponantur.

Cereales paniculatæ grano majore.

CAPUT PRIMUM.

Avena.

AVena vulgaris ſeu alba B. Pin. paniculam habet ariſtatam, cum ſtaminibus, & apicibus albis, pendulis intra Calicem quadrifolium, lineis viridibus ſtriatum.

CAPUT SECUNDUM.

Sorghum.

SOrghum I. B. Milium arundinaceum indicum ſemine ſub rotundo B. Pin. paniculam habet ſine ariſtis; plu-

rima ſtamina; apices luteos pendulos, quibus ſuccedit ſemen ſubrotundum, duplici tunicâ involutum. Plures hujus ſunt ſpecies, quarum aliæ ſemen habent ruffum, aliæ nigrum, aliæ album. Unum vidimus à D. Niſſolle D. M. de re botanicâ bene meritò communicatum ſemine albo, Caulis ſuprema pars contorquebatur, & panicula deorſum nutabat.

CAPUT TERTIUM.

Oryza.

ORyza I. B. paniculata eſt, & ariſtas habet. Dicunt quod apices rubeſcunt.

Cereales ſemine majore.
Floribus à ſeminibus ſejunctis.

CAPUT PRIMUM.

Mays.

FRumentum indicum Mays dictum B. Pin. paniculam habet in ſummitate ſine ariſtis, inter cujus glumas plura ſunt ſtamina alba, cum longis apicibus, purpureis, pendulis, ut in aliis cerealibus. Semina verò ſunt in ſpicis ſeparatis ſecus Caulem, plurimis foliis longis, & latis arctè circumvoluta. Intùs verò ad ſeminum latera oritur, filamentum ad unum quodque ſemen longum, quæ omnia filamenta extra folia in unum collecta Hapſum purpurantem oſtendunt; quodquè verè flos ſtamineus dici debet.

CAPUT SECUNDUM.

Lacryma Jobi.

LAcryma Jobi Clus. à petiolis quibuſdam tranſadiguntur ſingula grana lævia, polita, & lapideæ duritiei. Exit inanium glumarum ſpica mutica, ut ait I. B. cum apicibus luteis.

Cereales ſemine minori ſpicatæ.

CAPUT PRIMUM.

Panicum.

PAnicum germanicum ſive Paniculâ minore B. Pin. ſpica oblonga, dodantralis, inquit C. B. teres, craſſa, ex granis milio numeroſioribus, minoribus, rotundioribus, & ſplendentibus folliculo obvolutis.

CAPUT SECUNDUM.

Phalaris.

PHalaris ſemine nigro B. Pin. ſpicæ breves ſunt turbinatæ; glumæ albæ, limbis viridibus; apices albicantes in medio ſulcati; ſemen nigreſcens, nitidum, formâ ſeminis lini.

Cereales ſemine minore paniculatæ.

Milium.

MIlium ſemine luteo B. Pin. Calicem habet bifolium, intra quem ſunt quatuor ſtamina, & apices pur-

puraſcentes ; ſemen luteum , parvum, lubrico lævore lucidum ; paniculam autem habet amplam.

SECTIONIS QUINTÆ PARS II[a].

De Graminibus.

AD faciliorem Graminum diſtinctionem , & ad vitandam confuſionem , quæ ex eorum innumerâ multitudine oriretur , eadem eſt utendum diviſione , quàm dedimus in noſtro prodromo. Sunt enim alia Gramina ſpicata , alia paniculata ; ſed cum in hâc diviſione variæ ſint in ſpicis aut paniculis differentiæ , ſubdividemus ea juxtà ſimilitudinem quam habent cum ſpicis aut paniculis cerealium , ut ex mutuâ inter ſe collatione, ut ait Lob. faciliùs diſcernantur, & diſcantur. Sunt etiam Gramina quæ plures habent ſpicas ſimul junctas, ita ut ſpicata paniculata dici poſſint, quorum omnium exactam deſcriptionem , & figuras nobis Promittit Prodromus Agoſtographiæ Clariſſimi Viri Joannis Scheucheri Med. Doctor. Tigurini.

CAPUT PRIMUM.

Gramina Spicata.

GRamen repens officinarum fortè , ſpicæ triticeæ aliquatenùs ſimile I. B. ſpica , ut dicit , duorum verſuum eodem cum triticeis ſitu , ſed ſtrigoſior , cum ariſtis perbrevibus ſubrubens.

Gramen ſparteum, ſpicatum, foliis mucronatis, ſpicâ ſecalinâ B. Pin. ſpicam habet quatuor aut quinque uncias longam, rectam, teretem digiti craſſitiei, glumis non ariſtatis.

Gramen ſpicâ brizæ majus B. Pin. ſpica palmaris; utriculi breves, ariſtis armati; floſculi ut in tritico lutei penduli.

Gramen hordaceum minus & vulgare B. Pin. ſpicas habet palmares, aliquando longiores, Hordeo ſimiles, ut rectè dicit I. B. tenuiores tamen & inanes, cum frequentibus arriſtis horridis.

Gramen paniceum ſpicâ aſperâ B. Pin. glumæ raræ ſunt, non compactæ, cum ariſtis brevibus, aſperis, quibus veſtibus pertinaciter adhærent.

Gramen caninum maritimum ſpicâ echinatâ B. Pin. ad panicea Gramina illud reducimus; glumæ raræ ſunt, plurimis pilis exaſperatæ, & quaſi ſpinoſæ; ſpinæ rubeſcunt.

Gramen alopecuroides ſpicâ rotundiore B. Pin. ſpica brevis, ſubrotunda ariſtas breves habet; innumeris pilis albis ſericeis circumdatur.

Gramen alopecuros major ſpicâ longiore B. Pin. ſpica unciam unam, aliquando duas habet; apices ex luteo rufeſcentes, circumdati pilis plumoſis, albis ſerici inſtar mollibus. Idem eſſe cum tomentoſo ſpicato ejuſdem veriſimile eſt; dum enim apices decidunt, non adſunt puncta illa ruffa quibus differre aſtruit.

Gramen phalaroides majus Italicum. B. Pin. culmus aliquando duos excedit pedes; ſpica brevis ſed craſſa; glumæ eodem modo quo in phalaride, unde nomen.

Gramen

Gramen typhoides molle. B. Pin. ex utriculis vix ariſtatis & piloſis ſpica longa & tenuis componitur.

Gramen typhoides ſpicâ anguſtiore. B. Pin. ſpica & ariſtæ longiores ſunt ſine pilis.

CAPUT SECUNDUM.

Gramina Paniculâ ex ſpicis compoſitâ.

GRamen loliaceum ſpicâ longiore, ſive Lolium Dioſc. B. Pin. ſpica longa ex multis parvis ſpicis lateralibus compoſita, quibus ſingulis foliolum oblongum ſubeſt; glumæ ſimplices parum ariſtatæ.

Gramen dactilon folio arundinaceo minus. B. Pin. legitimum Clus. culmi deſinunt in quatuor aut quinque ſpicas tenues, quarum apices ex inferiori ſpicæ parte propendent ex parvis utriculis orti; ſpicæ per maturitatem nigreſcunt.

Gramen paniculoſum phalaroides. Lob. paniculam habet in plures parvas ſpicas diviſam, ex laminulis ut rectè dixit. C. B. numeroſis, oblongis, acuminatis, Filicis maris foliolis ſimilibus, aſpectu jucundis, compoſitas.

Gramen tremulum maximum. B. Pin. in culmi ſummitate quaſdam producit ſpicas breves, cum ſquamis rufeſcentibus tenui filo appenſas, ideo tremulæ ſunt.

Gramen ſpicâ hirſutâ ad Gramen du gros accedens. I. B. panicula ex pluribus ſpicis compactis compoſita, glumis villoſis mollibus; cum brevibus ariſtis.

CAPUT TERTIUM.

Gramina Paniculata.

GRamen, vel Feſtuca avenacea ſterilis elatior. B. Pin. paniculam habet multifariam diviſam; glumæ longis pediculis inſident Avenæ ſimilibus molles & ariſtatæ.

Gramen, vel Feſtuca dumetorum utriculis lanugine flaveſcentibus. B. Pin. paniculam habet Avenæ ſimilem, ſparſam, utriculi ſerrati, longi, fuſci coloris, tenuiſſimis & longiſſimis pilis obſiti, quibus lanugo flava & ſericea ſubſternitur; tenues habet ariſtas fuſci coloris.

Gramen Miliaceum. Lob. paniculam habet Miliaceam ſparſam, pedalem; glumæ non ſunt ariſtatæ, binæ, quæ ſingulæ ſemina Milio minora circumdant.

Gramen pratenſe paniculatum majus anguſtiore folio B. Pin. panicula leviter expenſa palmaris aut ſeſquipalmaris cum locuſtis non ariſtatis.

Gramen pratenſe paniculatum molle, B. Pin. paniculæ longæ, parum divulſæ, molles; glumæ oblongæ ſine ariſtis.

Gramen arvenſe paniculâ criſpâ. B. Pin. hunc ſic deſcribit. I. B. paniculam gerit uncialem, & ſeſquiuncialem, imò longiorem, divulſam, ex viridi-purpuraſcentem; glumis crebris, exilibus in breves interdum tortiles ariſtas deſinentibus.

CAPUT QUARTUM.

Arundo & Gramina Arundinacea.

ARundo vulgaris, ſive Phragmites. B.Pin. differt præcipuè Arundo à Graminibus paniculatis magnitudine.

Jubam, ſeu paniculam effuſam in extremitate calami producit; inter ſquamas purpuraſcentes longiſſima emergunt filamenta aut ſtamina alba, caſſidum plumas imitantia; ſeminibus non conſpicuis.

Gramen arundinaceum plumoſum album. B. Pin. paniculam arundinaceam, ramoſam, mollem, ſerici inſtar ſplendentem ſuſtinet.

PARS III^a. SECTIONIS QUINTÆ.

De Cypero & Gramine Cyperoideo.

DIvidimus pariter Cyperum, & Gramina Cyperoidea enodia, in ea quæ ſpicas habent, vel paniculas, nec diverſa genera conſtituere, ex eò quod quædam ex his Graminibus ſuperiores ſpicas habent non ſeminiferas neceſſarium putavimus. Quod non fecit. I. B. qui primus, quod ſciamus, illud cognoverat, cum ſpicæ non ſeminiferæ eandem habeant cum aliis figuram, & fortè ſemen non producant, exhauſto ſucco neceſſario qui ſufficiens erat ad ſpicas inferiores, ſed non ad ſuperiores nutriendas.

CAPUT PRIMUM.

Cyperus rotundus & longus.

CYperus rotundus anguſtifolius, eſculentus. B. Pin. Traſi I. B. in cacumine breves emittit pediculos triangulares, ſubtus habentes tria foliola longa; pedi-

culi breves habent ſpicas ſquamoſas, ex quibus emergunt ſtamina luteſcentia.

Cyperus odoratus radice longâ, ſive officinarum. B. Pin. plures producit ſpicas, è pediculis breves, ſquamoſas, ex quibus exeunt ſtamina alba.

CAPUT SECUNDUM.

Gramen Cyperoides ſpicatum.

GRamen Cyperoides latifolium ſpicâ rufâ. B. Pin. ſpicas habet inordinatè per caulem diſpoſitas, quarum primæ folium oblongum ſubjicitur, colore ſubnigro, è cujus rimis plurima exeunt ſtamina alba, ultima quamvis ſtaminibus onuſta, ſterilis eſt ob rationem ſupra allatam.

Gramen Cyperoides latifolium ſpicâ ſpadiceo-viridi majus. B. Pin. à præcedenti præcipuè differt, quia ſpicæ ſpadiceo-virides ſunt, quod fortè eſt ſolummodo varietas.

Gramen Cyperoides paluſtre majus ſpicâ divisâ, B. Pin. plures habet ſpicas ſimul junctas, breves, denſas, flaveſcentes, è quarum interſtitiis plurima exeunt ſtamina, quæ per maturitatem ruffæ ſunt.

Gramen Cyperoides maritimum, B. Pin. illud ſic deſcribit. C. B. in Theatro Bot. in ſummitate caput habet globoſum, Ampelopraſſi magnitudine, corticoſum, ſquamiſque farctum, ex luteo-ruffeſcens, ſplendenſque, cui folia plerumque tria veluti corona ſubjiciuntur.

CAPUT TERTIUM.

Gramina Cyperoidea Paniculata.

GRamen Cyperoides Miliaceum, B. Pin. panicula, ſeu coma elegans latè ſparſa, ſtamina in utriculis ſeparatis veluti racemulis proferens ſpadiceî, aut fuſci coloris.

Gramen Cyperoides altiſſimum foliis & carinâ ſerratis, Bocc. in cacumine & foliorum alis, inquit, Jubæ Milii aut Junci paniculâ ſparsâ; ſemina habet nigra, dura, acuminata in Calice bifolio. Habitus totius plantæ nos illud hîc potius reducere cogit, quàm ad Juncos cum D. Tournefort.

CAPUT QUARTUM.

Sparganium.

PRopter eumdem plantæ habitum poſt Cyperos Sparganium collocamus, licet flores ſeminiferos & ſteriles ſeparatos & diverſæ figuræ producat, quod ſuperiùs poſt Lachrymam Jobi potuiſſet collocari.

Sparganium ramoſum, B. Pin. juxtà caulem plurima capita producit rotunda, ex pluribus Calicibus ſtrictè conjunctis compoſita, è quolibet Calice exeunt apices recti cineritii coloris, quibus deciſis clauduntur ad ſemen maturandum, tuncque caput illud echinatum eſt; in ſuperiori caulis parte ſpica eſt floſculorum in faſciculos congeſtorum ex ſtaminibus albis, & apicibus fuſcis compopoſitorum & ſterilium.

CAPUT QUINTUM.

Typha.

TYpha paluſtris major B. Pin. in ſummitate caulis qui Junceus eſt ſpicam producit aliquando pedalem quæ clava dici poteſt, Junco affixam, in Junci parte clavatâ ſemina adhærent, quorum quodlibet pappum habet, ex plurimis filis albis compoſitum; in vaginulâ anguſtâ, extrà clavam plurimi ſunt apices juxta ſeminum numerum longi & ferruginei coloris; pappus & tomentum ſunt calices horum florum ſtamineorum: quod ſi in ſummitate clavæ ſit pars ſterilis, illud non mirùm cum in Juncis idem contingat, ut dicit C. B.

SECTIO SEXTA.

De Plantis cum Calice externo flore monopetalo.

Plumbago.

PLumbago quorumdam Clus. Dentellaria Rondel. I. B. plures habet flores ſimul junctos, unuſquiſque Calicem habet in quinque partes diviſum, cum ſtriis ex albo-viridibus & tuberculis exaſperatum; flos tubuloſus qui in quinque partes emarginatas expanditur, cæruleus; quinque ſunt ſtamina cum apicibus albis rectis; ſtylus ſupra ſemen albus, in quinque partes diviſus.

CAPUT SECUNDUM.

Parietaria.

PArietariam inter flores ſtamineos non poſuimus, quia eſt verè flos petalodes.

Parietaria officinarum & Dioſc. B. Pin. plures producit flores cauli ſimul per intervalla adnatos; quiſque flos Calicem habet villoſum, aſperum in quatuor partes diviſum; flos tubulus eſt, albus, ſubtus purpuraſcens, in quatuor partes diviſus, in extremitate quælibet pars antequam flos aperiatur, in tres alias partes dividitur; in medio eſt ſtylus purpuraſcens. Figura Tournefort. eſt juxta illius deſcriptionem.

CAPUT TERTIUM.

Cerinthe.

CErinthe major quorumdam, verſicolore flore I. B. Calix in quinque partes dividitur; flos tubulus eſt longus à mediâ in extimam partem flavus, altera quæ Calici adhæret ex rubro- purpuraſcens, cum quinque ſtaminibus, ſtylo in medio duorum ſeminum quæ nuda ſunt, teſta enim illa nigra quâ involvitur pulpa & quæ facilè rumpitur ſolam pulpam continet.

Plantæ hujuſce Sectionis quæ ſequuntur quatuor habent ſemina ſimul juncta.

CAPUT QUARTUM.

Borrago.

BOrrago floribus cæruleis, vel albis, I. B. Calix hiſpidus in quinque partes anguſtas diviſus; flos eſt tubulus in quinque etiam partes diviſus veluti ſtellæ radios, cæruleus vel albus, vel roſeus; in floris umbone quinque ſunt appendices albicantes juxtà quas decem apices eriguntur atro-purpurei, quorum quinque interiores longiores ſunt quaſi adunati, alii quinque exteriores breviores ſunt, ſtylo inter quatuor ſemina rubeſcente.

CAPUT QUINTUM.

Bugloſſum.

BUgloſſum anguſtifolium majus B. Pin. Calix quinque-foliis ad pediculum uſque ſectis, anguſtis, longis, hiſpidis; flos eſt tubulus albus in quinque partes obtuſas obſcurè cæruleas diviſus, in ore tubuli ubi ampliatur ſunt quinque foliola recta, tubulo annexa, veluti appendices quæ coronam efformant quibus ſubſternuntur quinque brevia ſtamina alba, cum apicibus purpuraſcentibus, qui etiam coronulam imitantur; ſtylus in medio quatuor ſeminum ſupra placentam, qui nihil conferre ad ſeminum nutritionem veriſimile eſt, ſed eſt potius vas excretorium, unde piſtillum dici non debet.

Bugloſſum latifolium ſemper virens B. Pin. eodem modo ſe habet, & eaſdem habet appendices, in ore tubuli.

Bugloſſum

Bugloſſum Sylveſtre minus. B. Pin. Calix eodem modo diviſus ; flores è cæruleo-palleſcentes ; appendices vel coronulæ ſunt albæ, fimbriatæ.

Bugloſſum Orientale flore luteo. Coroll. Inſt. R. Herb. flos luteus, appendices habet aliorum more.

Bugloſſum Creticum majus flore cæruleo purpuraſcente H. R. Par. tubulus albus ; diviſuræ atro-purpureæ ; appendices albæ.

Bugloſſum Lanuginoſum flore nigro. Quod Echium ſylveſtre Lanuginoſum B. Pin. quia eaſdem habet appendices, & Bugloſſum toto habitu refert, ad illud reduximus.

Bugloſſum Creticum minimum odoratum flore vario eleganti. H. R. Par. flos ex albo, & rubro eleganter varius, & odoratiſſimus. Quamvis autem florem habeat parum irregularem ut Echium, ad Bugloſſum potiùs reduximus propter quinque appendices quas habet, & quæ illud ſufficienter ab Echio diſtingunt.

Bugloſſum. Quod Echium Scorpioides arvenſe B. Pin. florem habet cæruleum cum fundo luteo & appendicibus, ſive carunculis.

CAPUT SEXTUM.

Aſperugo.

Aſperugo ſpuria. Dod. Bugloſſum ſylveſtre caulibus procumbentibus B. Pin. pro Calice duo habet folia veluti alas, dentata, parvum florem cæruleum occultantia in quinque partes diviſum, cum corollâ in medio ex appendicibus efformatâ.

CAPUT SEPTIMUM.

Lythoſpermum.

LYthoſpermum majus erectum B. Pin. Calix viridis anguſtus, hiſpidus, leviter in quinque partes diviſus; flos tubuloſus in quinque partes etiam diviſus, albus, in tubuli umbone quinque ſunt carunculæ, aut appendices tubulo adhærentes; quinque ſtamina cum apicibus luteis; ſtylo ſuprà placentam in medio quatuor ſeminum albo-cinereorum, durorum, & levium.

CAPUT OCTAVUM.

Cynogloſſum.

CYnogloſſum majus vulgare B. Pin. Calix hirſutus in quinque partes diviſus; flos cum parvo tubulo in quinque partes diviſus, rubro-purpureus, in ore tubuli ampliatus; quinque appendices ejuſdem coloris; ſemen obſcurum, ovalis figuræ, acuminatum in ambitu, numeroſis denticulis quibus veſtibus adhæret, exaſperatum; duplicem habet membranam, exteriorem aſperam, & interiorem tenuem, quæ pulpæ ſeminis non adhæret, ideò pro ſemine nudo habuimus, non pro fructu, quia utraque membrana pro unâ & eadem cenſeri debet, ut enim poſſet dici fructus neceſſum eſt in plantis quæ duplicem habent in ſemine membranam, ut membrana interior fructui adhæreat, ità ſemem Maluæ eſt fructus, quia membrana interior pulpæ ſeminis adhæret; idem dicendum de Fumaria, & aliis.

Cynogloſſum creticum argenteo anguſto folio B. Pin.

Cynogloſſi vulgaris ſpcies minor & candidior I. B. Calix villoſus in quinque partes profundè diviſus; flos ruber cum quinque appendicibus anguſtis, longis, & rectis; quinque ſtamina & apices lutei; ſtylus ſuper placentam in medio quatuor ſeminum; ſemen eodem modo, quò ſuperiùs.

Cynogloſſum folio levi Luſitanicum. Linum Luſitanicum umbilicato ſemine Parkins. Huc referimus iſtam plantam, quia Calicem, florem, appendices, & ſemina eodem ferè modo habet; flos albus; ſemina umbilici modo cava, rotunda, in ambitu crenata, fortè meretur caput proprium.

CAPUT NONUM.

Symphytum.

SYmphytum, ſeu conſolida major B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos tubulus eſt longus, parùm in ſummo ampliatus, leviter in quinque partes diviſus, albo-pallidus, aliquando purpuraſcens, cum quinque appendicibus ſeu ligulis, & quinque apicibus tubulo adnatis: ſtylus ſupra placentam inter quatuor ſemina.

CAPUT DECIMUM.

Heliotropium.

HHeliotropium majus Dioſcoridi B. Pin. Calix villoſus in quinquepartes profundè diviſus; flos tubulus albus, in ore tubuli luteus, in quinque partes diviſus, ſi-

ne appendicibus, quâ notâ ſufficienter à præcedentibus hujuſce Sectionis plantis diſtinguatur; quinque ſtamina cum apicibus lûteis inter quatuor ſemina.

CAPUT UNDECIMUM.

Pulmonaria.

PUlmonaria maculoſa, ſive Symphytum maculoſum B. Pin. Calix longus eſt villoſus, in quinque partes diviſus; flos tubuloſus ſimiliter in quinque partes diviſus, rubro-cæruleus, ſine appendicibus; in fundo tubi ſunt quinque apices tubulo innati; ſtylus longus albus, clavatus inter quatuor ſemina.

CAPUT DUODECIMUM.

Anchuſa.

ANchuſa puniceis floribus B. Pin. Calix rigidis pilis hirtus, in quinque partes diviſus; flos etiam in ore tubuli ampliatus in quinque partes dividitur cæruleo-purpureus; quinque ſtamina, & apices recti in tubulo latent; ſtylus in medio quatuor ſeminum, nullas habet appendices, quâ notâ rectè à Bugloſſo diſtingui debet.

Anchuſa lignoſior anguſtifolia Adv. Lob. ejuſdem eſt cum præcedenti figuræ.

Anchuſa procumbens Lithoſpermi folio. Lithoſpermum majus Dod. Calix in quinque partes anguſtas profundè diviſus eſt; flos ejuſdem cum Anchuſâ coloris & figuræ;

quinque brevia ſtamina, & apices recti lutei; ſtylus albus in medio quatuor ſeminum. Miror inquit I. B. hanc referri ad Lithoſpermum cum Anchuſæ ſemen habeat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Echium.

ECHium vulgare B.Pin. Calix hiſpidus & quaſi ſpinoſus, in quinque partes longas & anguſtas profundè diviſus; flores in principio rubentes mox cærulei, in ſpicam diſpoſiti, quæ Scorpionis caudæ modo incurvatur, in quinque partes irregulares diviſi, duæ ſuperiores longiores, duæ laterales minores, infima brevior; quinque ſtamina rubra & apices cærulei, tria longiora, duo breviora; ſtylus bifidus ruber inter quatuor ſemina.

SECTIO SEPTIMA.

De plantis cum Calice externo floribus monopetalis galeatis, ſive cum labio ſuperiori & inferiori.

UL clarior ſit noſtra methodus, dividemus plantas hujus Sectionis in tres partes. Prima pars earum quæ galeam ſive labrum ſuperius habent indiviſum. Secunda earum quæ diviſum habent. Tertia earum quæ diviſuras utriuſque labii habent ferè æquales. Modo hæc noſtra diviſio habitui plantæ non repugnet, in quo caſu eâ non utendum eſt, ut in ſequentibus patebit.

Inter eas quæ Galeam habent indiviſam (ut plurimum aliquando enim diviſa reperitur) aliarum Galea falcata eſt, aliarum cochlearis inſtar cava, aliarum fornicata; quæ differentiæ ſunt, & genus diverſum non debent conſtituere, ne genera in immenſum multiplicentur. Sunt enim Salviæ ſpecies, ut dicit Clariſſ. Tournefort. quarum Galea fornicata eſt, in aliis Salviæ ſpeciebus falcata: dicimus igitur in iſtâ præcipuè Sectione habitum plantæ maximi eſſe momenti, ut rectâ methodo plantæ ordinentur.

Secunda pars iſtius ſectionis continebit eas quæ Galeam ſive Labrum ſuperius habent diviſum in duas aut plures partes.

In tertiâ verò erunt plantæ quæ habent florem quaſi regularem, ita ut labrum ſuperius & inferius eodem modo in quatuor aut quinque partes dividatur, quas non ſeparamus ab aliis quæ habent florem manifeſtè irregularem, ſicut non ſeparavimus Echium licet florem habeat irregularem ab aliis congeneribus; nec ſeparabimus Gerania & Valerianas propter quandam in floribus irregularitatem, quia totus plantarum habitus illud prohibet, & indè patet characterem à floribus deſumptum non eſſe ſufficientem.

CAPUT PRIMUM.

Salvia.

SAlvia minor aurita, B. Pin. Calix amplus ſtriatus in quinque partes diviſus, quarum una ſuperior, quatuor laterales; flos tubulus eſt, cujus labrum ſuperius eſt Galea obtuſa cochlearis in modum excavata, ſub

qua latitant quatuor ſtamina cum apicibus rectis, ſtylo longo in medio ſupra placentam inter quatuor ſemina; labrum verò inferius latum eſt, acutum & reſupinum.

Aliæ ſunt Salviæ ſpecies quæ habent labrum ſuperius falcatum, inferius verò bipartitum, & inter utrumque habent appendices ſeu alas, unam ex utraque parte; quæ differentiæ genus novum non debent conſtituere, dum ſimilis eſt plantæ habitus ut ſuprà diximus.

CAPUT SECUNDUM.

Phlomis.

PHlomis Lychnites, Clus. Calix denſâ lanugine villoſus, in quinque partes acutas diviſus, ſuperior una, quatuor laterales; flos eſt tubulus in duo labia lutea diviſus, ſuperius eſt Galea longa quaſi clauſa, ſub quâ ſunt quatuor ſtamina alba cum apicibus luteis, ſtylo albo in medio, inferius aliquando diviſum in quaſdam partes, aliquando vix diviſum, ad latera ſubtus plicatum cum duabus auriculis.

Phlomis fruticoſa Salviæ folio latiore & rotundiore Inſt. R. Herb. flos luteus eſt, & eadem habet ſtructuram ut &c.

Phlomis Narbonenſis Hormini folio, flore purpuraſcente Inſt. R. R. Herb.

Phlomis Acanthi folio, flore albo. An Phlomis orientalis foliis laciniatis. Coroll. Inſt. R. Herb. flos magnus albus cum quatuor ſtaminibus albis, ſub Galeâ ſuperiori & apicibus purpuraſcentibus cum ſtylo. Hanc plantam

à D. Niſſolle rei Botanicæ ſtudioſiſſimo cultam habuimus.

CAPUT TERTIUM.

Horminum.

CUm notabilis ſit in floribus Hormini diverſitas, clarioris doctrinæ gratiâ duplex erit caput ; in iſto deſcribemus Horminum quod florem habet minorem, in altero ſub nomine Sclareæ quod Galeam habet magnam & elatam.

Horminum ſylveſtre latifolium verticillatum B. Pin. Calix villoſus in quinque partes diviſus, una ſuperior, quatuor laterales ; flos tubulus eſt in duas partes cæruleas diviſus ; labrum ſuperius elatum eſt cochlearis formâ ſed anguſtius, ſub quo ſunt ſtamina cum apicibus purpureis, & ſtylo bifido, inferius latum eſt bifurcatum cum duabus auriculis ad latera.

Horminum ſylveſtre Lavendulæ flore, B. Pin. Calix villoſus in tres partes ut plurimum diviſus, una ſuperior, duæ laterales ; flos eſt tubulus in duo labia diviſus ; ſuperius eſt Galea cucullata, inferius eſt cohlearis formâ cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo; multum variant in floris formâ, non tamen ſeparanda ob plantæ habitum.

CAPUT QUARTUM.

Sclarea.

SClarea. Tab. Horminum Sclarea dictum. B. Pin. Gallitricum ſativum. I. B. Calix villoſus, ſtriatus, in quinque

que partes diviſus; flos duo habet labia, ſuperius eſt cucullus longus falcatus pallidè cæruleus, ſub quo latitant ſtamina & apices cum ſtylo bifido extra cucullum apparente; inferius in tres partes diviſum eſt, mediâ latiore & longiore, in medio bifidâ.

Sclarea pratenſis foliis ſerratis flore cæruleo. Inſt. R. Herb. Gallitricum ſylveſtre, ſive Sclarea ſylveſtris flore cæruleo magno, I. B. flos magnus intensè cæruleus, aliquando albus.

Sclarea vulgaris lanuginoſa ampliſſimo folio. Inſt. R. Herb. Calix villoſus in duas majores partes diviſus, ſuperior in tres minores, inferior in duas; flos eſt tubulus in duo labia alba diviſus, ſuperius elatum eſt recurvum & plicatum, ſub quo latent ſtamina & apices lutei cum ſtylo longiori bifido, inferius latum Cochlearis formæ, bifidum cum duabus auriculis ad latera.

Sclarea rugoſo, verrucoſo & laciniato folio. Inſt. R. Herb. Horminum Syriacum folio cornu cervinum exprimente. Prod. Par. Bat.

Sclarea Syriaca flore albo. Inſt. R. Herb. Horminum Syriacum B. Pin. flores habent ejuſdem cum præcedentibus ſtructuræ.

Sclarea glutinoſa lutea. Horminum luteum glutinoſum B. Pin. Calix ex viridi-ſtriatus, glutinoſus cum tribus denticulis, unus ſuperior, duo laterales; flos tubulus eſt in duo labia lutea magna diviſus, cum plurimis maculis nigris, ſuperius elatum, parum in ſummitate emarginatum & fiſſum, ſub quo ſunt duo ſtamina longa, alba cum longis apicibus luteis rectis, ſtylo in medio

longiori, inferius longum ferè rotundum in extremitate cum duabus alis ad latera; præter duo longa ſtamina quæ ſunt ſub labio ſuperiori & oriuntur à labio inferiori, ſunt alia duo ſtamina multò breviora ex eadem parte orta cum apicibus luteis. Melius hic reducitur quám ad Salvias.

CAPUT QUINTUM.

Caſſida.

CAſſida. Colum. Lamium peregrinum, ſivè Scutellaria B. Pin. Calicem habet villoſum in duas partes diviſum, in parte ſuperiori folium innaſcitur in unâ tantùm parte adhærens, quod operculi inſtar inſervit dum ſemina matureſcunt; flos eſt longus tubulus in duo labia obſcurè purpurea diviſus, cujus ſuperius eſt parva Galea, vel cucullus rotundus, ſub quo ſunt quatuor ſtamina recurva cum apicibus purpureis & ſtylo albo, inferius eſt apertum, anguloſum, parum in medio diviſum, cum duabus alis ad latera.

Caſſida alpina ſupina magno flore. Inſt. R. Herb. Teucrium Aſtragaloides, Caſſida minor, Hort. R. Par. florem habet ejuſdem figuræ violaceum.

Caſſida paluſtris vulgatior, flore cæruleo. Inſt. R. Herb. Calix in duas partes dividitur, quarum unaquæque in medio eminentiam habet; in parte ſuperiore Calicis eſt foliolum adnatum cum tribus denticulis; floris tubulus in duo labia diviſus, ſuperius eſt Galea violacea, inferius latum, in medio album cum ſtaminibus & apicibus purpureis & ſtylo.

Caſſida Orientalis Chamædrios folio flore luteo. Coroll. Inſt. R. Herb. ejuſdem eſt cum aliis ſtructuræ.

Rectè quidem Raius contra Rivinum inter plantas verticillatas reponit quæ ſunt ſemine nudo, cum unicapſulares dici non poſſint; quidquid enim florem ambit aut ſuſtinet Calix externus aut Perianthium dici debet, ſive claudatur ſive non claudatur; ſic Calices Bugloſſi, Anchuſæ, Lithoſpermi &c. non clauduntur; alii vero Calices Atriplicis ſylveſtris, Betæ & aliorum clauduntur, tamen non poſſunt dici capſulæ, & ſunt Calices externi ſive Perianthia.

Notandum etiam quod aliquando Calix externus cum interno juncti ſunt, ut in Campanulâ, Rosâ & aliis qui ita diſtingui debent, ut pars inferior quæ ſemen continet dicatur Calix internus; pars verò ſuperior quæ florem ambit Calix externus, quæ pars ſiccatur & ab inferiori quæ ſemen continet ut plurimum ſeparatur.

CAPUT SEXTUM.

Leonurus.

LEonurus Capitis Bonæ ſpei. Breyn. hæc planta ob elegantiam meretur nomen ab Authore impoſitum; nec ejus flos ad Lamium, Sideritidem aut Marrubium ullatenus accedit. Ejus Calix longus eſt cum ſex ſtriis in acumen terminatis; flos eſt tubulus longus in parte ſuperiori introrſum inflexus, cum cucullo ex aureo-phæniceo, pars inferior ſive labium inferius breve in tres partes diviſum, una media, duæ laterales, quatuor

ſtamina longa cum apicibus luteis creſcentis Lunæ modo falcatis.

CAPUT SEPTIMUM.

Cardiaca.

CArdiaca. I. B. Calix in quinque partes acutas parum diviſus; flos tubulus eſt albo-purpuraſcens, cum quibuſdam ſtriis obſcurioris purpuræ; cujus labrum ſuperius longum & anguſtum eſt, introrſus inflexum, in extremitate ferè rotundum, villoſum, inferius anguſtum, cum duabus auriculis ad latera, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT OCTAVUM.

Stachis.

STachis Cretica latifolia. Inſt. R. Herb. Calix villoſus in quinque partes diviſus, una ſuperior, duæ laterales, duæ infimæ; flos eſt tubuloſus purpureus, cujus labrum ſuperius cucullus eſt clauſus, inferius latum eſt, parum emarginatum, cum auriculis ad latera, ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Stachis major Germanica, B. Pin. eodem modo ſe habet. Labrum ſuperius plures habet guttulas purpureas.

CAPUT NONUM.

Molucca.

MOlucca Læuis. Dod. Calix magnus, patulus, campaniformis, variè acuminatus; flos albo-purpu-

raſcens cum quibuſdam ſtriis; labrum ſuperius eſt longum cochlear, vel cucullus, inferius longum etiam & bifidum, cum duabus alis ad latera, ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Molucca ſpinoſa. Dod. Calix anguſtior eſt & longus, ſpinis rigidis & infeſtis armatus; flos roſeo-pallidus; labrum ſuperius elatum, in duas partes profundè ſciſſum; inferius album, introrſum inflexum cum duabus auriculis, vel alis ad latera longis & acutis, ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Si plus valeret florum diviſura quàm plantæ habitus; deberent hæ duæ Moluccæ ſeparari, cum in floris formâ multùm differant. At propter hanc varietatem non debent ſeparari quæ videtur natura conjunxiſſe.

CAPUT DECIMUM.

Brunella.

BRunella cærulea, magno flore. B. Pin. Brunella flore magno. I. B. Calix in duas partes dividitur; ſuperior in tres minores, inferior in duas; flos purpureus eſt, cujus labrum ſuperius longus eſt cucullus, ſub quo ſunt quatuor ſtamina purpurea cum apicibus longis, albeſcentibus & ſtylo bifido, inferius verò eſt rotundum cochlearis formâ, cum duabus alis ad latera plicatis.

CAPUT UNDECIMUM.

Lamium.

SI omnes Labiorum diviſuras exactè obſervare neceſſum eſſet in plantis Galeatis, tot ferè eſſent conſti-

tuenda genera quot plantæ ; ſed quia habitus plantæ magni debet eſſe momenti, aliquid illi dandum eſt. Ideó quamvis quædam plantæ habeant labrum ſuperius bifidum, ſi quis rigidus Cenſor voluerit transferre ad ſecundam partem hujuſce Sectionis per nos licet; differentiam enim illam damus non ut ſemper veram, ſed ad clariorem & faciliorem ordinem proponendum, qui ſequendus quidem eſt modo habitus plantæ non repugnet. Ubi notandum quod dum labrum inferius tres habet diviſuras, quarum duæ laterales multò breviores ſunt mediâ, illas partes breviores laterales alas vel auriculas vocamus, & ad Sideritides reducimus, dum verò ſunt ferè æquales cum mediâ labrum tripartitum dicimus ut Galeopſim.

Lamium purpureum non fœtens. B. Pin. Calix in quinque partes acutas diviſus, una ſuperior, quatuor laterales ; flos in duo labia diviſus, ſuperius latum Cochlearis formâ, cum quatuor ſtaminibus & apicibus qui figuram 8. repreſentant, ut optimè notat Raius, & ſtylo, labrum inferius latum eſt bifurcatum.

Lamium vulgare album, ſive Archangelica flore albo. Parkins. Calix eodem modo diviſus, labrum ſuperius cucullus eſt latus pilis albis ad limbum ornatus, inferius latum, bifidum, inter utrumque ſunt fauces emarginatæ cum pilis albis, ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Lamium, vel Sideritis marina Salviæ folio noſtras. Dona. Calix ut in aliis diviſus, labium ſuperius longum, elatum ferè rotundum, inferius ferè eodem modo cum maculis nigris. Huc potius reducendum duximus quam ad Betonicam, quamvis non omninò conveniat cum Lamio,

Lamium foliis caulem ambientibus. B. Pin. eodem ferè modo ſe habet ac alia Lamia, cucullus valdè longus.

CAPUT DUODECIMUM.

Galeopſis.

GAleopſis, ſive Urtica iners flore luteo. I. B. Lamium folio oblongo luteum. B. Pin. Calix eſt in quinque partes acutas diviſus, labium ſuperius cochleare, ſub quo ſunt ſtamina, apices & ſtylus, inferius in tres partes diviſum, cujus duæ laterales mediâ ſunt paulo breviores.

Galeopſis, vel Lamium montanum Meliſſæ folio. B. Pin. Calix videtur in tres partes tantum diviſus, una ſuperior, duæ laterales: ſunt tamen quædam crenulæ quæ numerum ſupplent; flos roſeus cujus labium ſuperius apertum eſt, latum & ferè rotundum, ſub quo ſunt ſtamina, apices, & ſtylus, inferius in tres partes diviſum eſt, duæ laterales paulo breviores.

Galeopſis Hiſpanica fruteſcens Teucrii folio. Inſt. R. Herb. Teucrium Regium latifolium flore albo. Hort. R. Par. Calix in quinque partes diviſus; flos albus, cujus labium ſuperius eſt cucullus, ſub quo ſunt ſtamina, apices & ſtylus bifidus, inferius in tres partes diviſum eſt.

Galeopſis. Quæ Sideritis Arvenſis latifolia glabra B. Pin. Calix eodem modo diviſus, labium ſuperius eſt cucullus inclinatus, inferius in tres partes latas & apertas diviſus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo bifido.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Sideritis.

SIderitis hirſuta procumbens. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus æquales & acutas; flos albus cum quibuſdam maculis purpureis; labium ſurperius eſt cochlear longum; quatuor ſtamina; apices lutei, & ſtylus bifidus; inferius longum, in extremo ferè rotundum, bifidum cum duabus alis ad latera.

Sideritis prima gravis odoris. Thal. Stachys paluſtris fœtida. B. Pin. Calix eodem modo; flos purpureus cujus labium ſuperius eſt parvus cucullus, inferius latum cochleare cum plurimis maculis obſcurioribus, duabus alis ad latera, quatuor ſtamina, apices & ſtylus.

Sideritis. Quæ Lamium maximum ſylvaticum fœtidum. B. Pin. Calix eodem modo; labium ſuperius cochleare fere rotundum, ſub quo ſunt quatuor ſtamina, apices & ſtylus bifidus, inferius latum, obtuſum, cordiforme, cum duabus diviſuris veluti alis ad latera.

Sideritis. Quæ Urtica aculeata foliis ſerratis. B. Pin. Calix in quinque partes aculeatas diviſus; flos albus vel purpureus, cujus labium ſuperius eſt cucullus ſub quo ſunt quatuor ſtamina, duo longiora, duo breviora, apices & ſtylus; inferius latum cum duabus alis ad latera.

Sideritidis genus verticillis ſpinoſis. I. B. Calix in quinque partes acutas & pungentes diviſus; flos albus; labium ſuperius anguſtum, elatum, cavum; inferius in tres partes diviſum, duæ laterales breviores, & quaſi alæ, media lata & longior.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Clinopodium.

CLinopodium Origani facie. I. B. Calix ſtriatus in quinque partes diviſus; flos purpuraſcens eſt cucullus, cujus labium ſuperius eſt ut plurimum indiviſum, inferius verò in tres partes dividitur, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Marrubiaſtrum.

MArrubiaſtrum. Rivin. Marrubium nigrum fœtidum. Ballote Dioſc. B. Pin. Calix villoſus in quinque partes acutas diviſus; flos purpuraſcens cujus labium ſuperius cochlearis eſt formæ ſupra villoſum, inferius in tres partes parum emarginatas diviſum, mediâ latiore cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylo bifido.

SECTIONIS SEPTIMÆ PARS II[a].

De Plantis quæ labium ſuperius, ſive Galeam habent diviſam.

INter Plantas quæ labium ſuperius habent diviſum, aliæ habent bifidum, aliæ pluriſariàm diviſum; quæ habent bifidum, aliæ habent inter labium ſuperius & inferius veluti fauces aut alas; aliæ verò tripartitum ha-

bent inferius labium, de quibus cum ordine dicemus.

Plantæ quæ fauces habent inter utrumque labium.

CAPUT PRIMUM.

Moldavica.

MOldavica Betonicæ folio flore cæruleo. Inſt. R. Herb. Meliſſa peregrina folio oblongo. B. Pin. Calix in quinque partes inæquales diviſus; labium floris ſuperius bifidum, ſurſum reflexum & parum fornicatum, inferius etiam bifidum; inter utrumque ſunt fauces cum parvâ alâ ex utroque latere, quatuor ſtamina, apices purpurei cum ſtylo bifurcato.

Moldavica Orientalis Betonicæ folio flore magno violaceo. Coroll. Inſt. R. Herb. eodem modo ſe habet.

CAPUT SECUNDUM.

Scordotis.

SCordotis. Plin. Hon. Belli. Epiſtolâ quintâ ad Cluſ. Calix in quinque partes villoſas diviſus; labium ſuperius ſurſum elatum eſt; Galea aperta bifida, inferius cochlear eſt cavum, emarginatum, inter utrumque ſunt duæ parvæ alæ cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT TERTIUM.

Cataria.

CAtaria major vulgaris. Inſt. R. Herb. Mentha Cataria. I. B. Nepetha Trag. Calix in quinque partes

diviſus eſt ; flos albus cujus labium ſuperius ſurrectum eſt bifidum , ſub quo ſunt quatuor ſtamina alba , apices purpuraſcentes & ſtylus , inferius apertum , leviter inciſum , ſeu denticulatum , inter duo labia ſunt duæ parvæ alæ quæ fauces referunt.

Cataria Anguſtifolia major. Inſt.R. Herb. Mentha Cataria anguſtifolia major. B. Pin. Calix eodem modo ; flos pallidè cæruleus , labium ſuperius anguſtum , bifidum ; quatuor ſtamina alba cum apicibus luteis , cum ſtylo longo, bifido, inferius latum eſt rotundum cochlearis formâ , inter duo labia ſunt fauces variè diſſectæ cum pluribus maculis purpureis.

Cataria Luſitanica erecta Betonicæ folio radice tuberosâ. Inſt. R. Herb. Calix eodem modo diviſus ; flores cærulei ſpicati , labium ſuperius ſurrectum, bifidum , ad alas plicatum , inferius latum , fimbriatum , parum bifidum , cum duabus parvis alis quæ fauces referunt , ſtaminibus , apicibus & ſtylo.

CAPUT QUARTUM.

Betonica.

BEtonica vulgaris purpurea. I. B. Calix in quinque partes acutas diviſus , una ſuperior , quatuor laterales ; flos purpureus cujus labium ſuperius ſurrectum eſt & bifidum , inferius bifidum & fimbriatum , cum duabus parvis alis ad latera quæ fauces referunt ; quatuor ſunt ſtamina , apices purpurei , & ſtylus.

CAPUT QUINTUM.

Hyſſopus.

HYſſopus Officinarum cærulea, ſivè ſpicata. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos cæruleus, labium ſuperius in duas partes diviſum, inferius excavatum & fimbriatum; inter duo labia ſunt duæ parvæ alæ quæ fauces referunt, cum ſtaminihus, apicibus, & ſtylo bifido.

CAPUT SEXTUM.

Roſmarinus.

ROſmarinus hortenſis anguſtiore folio. B. Pin. Calix in duas præcipuè partes diviſus eſt; ſuperior tres habet denticulos, inferior duos; flos albus eſt cum maculis purpuro-violaceis, labium ſuperius anguſtum, bifidum, ſurſum verſus poſteriora revolutum; ſtamina longa, adunca, apices & ſtylus, inferius cochlearis inſtar excavatum, bifidum, emarginatum, cum duabus alis ad latera brevibus & anguſtis.

Plantæ quarum labium ſuperius eſt bifidum, inferius trifidum.

CAPUT PRIMUM.

Marrubium.

MArrubium album vulgare. B. Pin. Calix villoſus cum decem ſtriis quæ in totidem ſpinulas termi-

nantur, quarum aliæ longiores, aliæ breviores; flos albus eſt, labium ſuperius parvum, anguſtum, bicorne, inferius in tres partes partes diviſum, media ſtriata, laterales longæ, cum brevibus ſtaminibus, apicibus, & ſtylo intra calicem occultatis.

Marrubium candidum folio ſubrotundo. I. B. Calix villoſus in plures etiam partes ſed molliores diviſus; labium ſuperius bifidum cum duabus ſtriis intùs purpureis, inferius anguſtum in tres partes dividitur, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Marrubium Alyſſon dictum. Raii. Alyſſon Gal. Cluſ. Calix villoſus quinque aculeis armatus; flos purpureus, labium ſuperius bifidum, inferius verò trifidum cum quatuor ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT SECUNDUM.

Pſeudo-Dictamnus.

PSeudo-Dictamnus acetabulis Moluccæ. B. Pin. Calix infundibuli-formis quinque habet angulos, villoſus; flos eſt pallidè purpureus, è longo tubulo in duas partes diviſus, labium ſuperius ſurrectum, parum fornicatum, bifidum, inferius tripartitum, mediâ parte longiore cum quibuſdam ſtriis obſcuriori purpurâ maculatâ, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT TERTIUM.

Stæchas.

STæchas Arabica vulgò dicta. I. B. ſpicam compactam habet quæ flores in quatuor angulis producit;

Calix in quinque partes diviſus compactas, piloſis ſquamulis imbricatas, inter quas emicant flores obſcurè purpurei, labium ſuperius erectum, bifidum, inferius in tres partes æquales diviſum, cum ſtaminibus, apicibus luteſcentibus & ſtylo; in ſpicæ cacumine quatuor ſunt foliola lata, purpuro-violacea.

Stæchas folio ſerrato. B. Pin. flores habet eodem modo diſpoſitos, dilutè cæruleos; ſpicas longiores & laxiores ut Lavandula, ſed in ſummitate ſpicæ ligulas habent ſeu foliola cærulea, ut in Stæchade Arabica, à quâ non debet ſeparari.

CAPUT QUARTUM.

Lavandula.

LAvandula folio diſſecto. B. Pin. Calices longi, anguſti, parum diſſecti in ſpicâ oblongâ; flos cæruleus, labium ſuperius ſurrectum, latum, bifidum, inferius in tres partes ferè æquales diviſum, ſtamina, apices lutei tubulo alligati exterius non apparent.

CAPUT QUINTUM.

Majorana.

MAjorana vulgaris. B. Pin. capitula habet corymboſa in quibus calices tria babent folia lata, villoſa; flos albus, labium ſuperius latum, bifidum, parum plicatum, inferius in tres partes æquales diviſum, quatuor ſtamina, apices & ſtylus albus.

CAPUT SEXTUM.

Dictamnus.

DIctamnus Creticus. B. Pin. plura habet in ſummitate capitula cum ſquamis exterius purpuraſcentibus; Calix unifolius, cujus pars ſuperior longa eſt, inferior brevis parum emarginata; flos dilutè purpureus, labium ſuperius longum, erectum, bifidum, inferius in tres partes diviſum, Avem expanſis alis volantem referens; quatuor habet ſtamina, duo longa parti ſuperiori Calicis adnata, duo breviora inferiori; apices purpuraſcentes & ſtylum.

CAPUT SEPTIMUM.

Origanum.

ORiganum vulgare ſpontaneum. I. B. plura habet capitula cum ſquamis purpuraſcentibus; Calix in quinque partes diviſus; flos albo-purpureus, labium ſuperius erectum eſt, ut plurimum bifidum, inferius tripartitum, quatuor ſtamina alba, apices purpurei & ſtylus.

CAPUT OCTAVUM.

Calamintha.

CAlamintha Pulegii odore, ſive Nepeta. B. Pin. Calix ſtriatus in quinque partes diviſus; flos albus cum maculis purpureis, labium ſuperius ſurrectum, bifidum, in-

ſerius tripartitum, quatuor ſtamina alba, apices purpurei, & ſtylus albus.

Calamintha vulgaris vel Officinarum Germaniæ. B. Pin. Calix ſtriatus in quinque partes diviſus, tres ſuperiores, duæ inferiores; flos purpuraſcens, cujus labium ſuperius bifidum eſt, inferius in tres partes diviſum, quarum media parum diviſa eſt cum maculis obſcuriùs purpureis; quatuor ſtamina, duo longiora, duo breviora, apices albi, & ſtylus bifidus.

Calamintha Incana Ocimi foliis. B. Pin. ejuſdem eſt ferè figuræ.

Calamintha magno flore. B. Pin. Calix ſtriatus in quinque partes diviſus; flos magnus purpuraſcens, labium ſuperius in duas partes diviſum, inferius in tres, quarum media eſt emarginata, cum pilis albis & maculis; ſtamina, apices albi, & ſtylus bifidus.

Calamintha aquatica. Geſn. Mentha aquatica ſive Siſymbrium. I. B. verticillata eſt; Calix in quinque partes diviſus; flos cæruleus, cujus labium ſuperius bifidum eſt, inferius tripartitum, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT NONUM.

Hedera Terreſtris.

HEdera terreſtris vulgaris. B. Pin. Quamvis in flore Calaminthæ ſit ſimilis, Habitus plantæ nos cogit illi Caput proprium concedere; Calix ſtriatus in quinque partes diviſus; flos cæruleus, cujus labium ſuperius bifidum, ad latera reflexum, inferius in tres partes diviſum

viſum cum lineis obſcurius purpureis, ſtaminibus, apicibus & ſtylo bifido.

CAPUT DECIMUM.

Meliſſa.

MEliſſa hortenſis. B. Pin. Calix ſtriatus, hirſutus, in duas partes diviſus, ſuperior tridentata, inferior cum duobus denticulis; flos albus eſt in luteum inclinans, labium ſuperius ſurrectum, inferius trifidum cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT UNDECIMUM.

Acinos.

ACinos multis. I.B. Clinopodium Arvenſe Ocimi facie B. Pin. Calix in quinque partes dividitur, tres ſuperiores, duæ inferiores; flos eſt purpureo-cæruleus, labium ſuperius eſt ut plurimum bifidum, inferius tripartitum, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

Acinos pulchra ſpecies. I. B. Clinopodium Montanum B. Pin. Calix eodem modo ſe habet; flos major obſcurè purpureus; pars media labii inferioris eſt bifida cum maculâ obſcuriore, & ſtylo recurvo.

Acinos Cretica Perennis anguſtifolia. An Saxifraga altera. Proſp. Alp. Calicem & florem habet ejuſdem figuræ cum primo.

CAPUT DUODECIMUM.

Ladanum Segetum.

LAdanum Segetum quorumdam flore rubro. I. B. Sideritis Arvenſis, anguſtifolia, rubra. B. Pin. quin-

quæ ſunt Calicis diviſuræ acutæ ; labium ſuperius elatum, anguſtum, bifidum, inferius tripartitum, cujus pars media latior eſt, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylo.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Thymus.

THymus vulgaris. B. Pin. Calix ſtriatus in quinque partes diviſus ; flos albo-purpureus, labium ſuperius bifidum, inferius tripartitum ; ſtamina & apices purpuraſcentes, cum ſtylo intra tubulum occluſi.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Serpillum.

SErpillum vulgare majus flore purpureo. B. Pin. Calix in duas præcipuè partes dividitur, quarum ſuperior eſt tridentata, inferior binos habet denticulos, labium ſuperius purpuraſcens eſt parva Galea bifida, inferius in tres partes diviſum, mediâ longiore, cum ſtaminibus, apicibus purpuraſcentibus, & ſtylo bifido.

CAPUT DECIMUM QUINTUM..

Satureia.

SAtureia Montana. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, duæ videntur ſuperiores, tres inferiores ; flos albus, labium ſuperius ſurrectum eſt, ut plurimum bifidum, inferius tripartitum ; quatuor ſtamina alba, apices purpurei, & ſtylus bifidus.

Satureia hortenſis. B. Pin. Flos purpuraſcens, labium ſuperius breve, ſæpius bifidum in cæteris ferè eodem modo.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Thymbra.

THymbra legitima. Cluſ. Satureia Cretica. B. Pin. Calix in quinque partes acutas diviſus; Flos purpuraſcens, labium ſuperius erectum, bifidum, inferius tripartitum, mediâ latiore, cùm quibuſdam maculis obſcuriùs purpuraſcentibus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Marum.

MArum Maſtichem redolens. B. Pin. Capitulis lanuginoſis, ab aliis verticillatis facilè diſtinguitur, inquit Raius; calicem habet in quinque partes diviſum, quem ambiunt plurimi pili albi, lanuginoſi; flos albus, labium ſuperius bifidum, inferius trifidum, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylo.

Plantæ quæ Labium ſuperius habent plurifariàm diviſum.

Ocimum.

OCimum Caryophyllatum majus. B.Pin. Calix in quinque partes dividitur, ſuperior lata, duæ laterales,

duæ inferiores anguſtiores ; labium ſuperius eſt fornicatum cum tribus aut quatuor diviſuris , ludit enim natura, inferius cavum & denticulatum, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo bifido ; flos aliquando albus, aliquando purpuraſcens.

SECTIONIS VIIæ. IIIa. ET ULT. PARS.

Plantæ quæ labia habent æqualia.

CAPUT PRIMUM.

Mentha.

MEntha anguſtifolia ſpicata. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus , tres ſuperiores , duæ inferiores ; flos albo - purpureus in quatuor partes ferè æquales diviſus , ſuperior enim paulò latior eſt; ſtamina & apices purpuraſcentes ; ſtylus albus longus & bifidus, in medio quatuor ſeminum.

Mentha ſylveſtris longiore folio. B. Pin. vulgò Mentaſtrum ; Calix & flos eodem modo ſe habent.

CAPUT SECUNDUM.

Lycopus.

LYcopus. Inſt. R.Herb. Marrubium Paluſtre glabrum. B.Pin. Calix in quatuor aut quinque partes diviſus ; flos albus in quatuor partes æquales, cum ſtaminibus , apicibus falcatis & ſtylo. Non aliud nomen occurrebat Clariſſ. Tournefort. , cum Lycopum vocavit, quod Cardiacæ tribuerat Fuchſ.

CAPUT TERTIUM.

Pulegium.

PUlegium Latifolium. B. Pin. Calix anguſtus in quatuor partes diviſus; flos cæruleus in quatuor etiam partes æquales parum apertas diviſus; quatuor longa ſtamina, apices & ſtylus longior.

CAPUT QUARTUM.

Verbena.

VErbena communis flore cæruleo. B. Pin. Calix in quatuor partes diviſus; flos dilutè cæruleus in quinque æquales; Raius dicit quod duo ſegmenta ſuperiora Galeæ vicem obtinent, ut in verticillatis; ſtamina, apices & ſtylus vix poſſunt deſcribi ob parvitatem.

Verbena tenuifolia. B. Pin. eodem modo ſe habet.

SECTIO OCTAVA.

De Plantis flore unilabiato.

CAPUT PRIMUM.

Chamædris.

CHamædris vulgò vera exiſtimata. I. B. Calix in quinque partes diviſus eſt, in loco labii ſuperioris

quatuor habet ſtamina, apices purpuraſcentes & ſtylum, labium inferius purpuraſcens, in quinque partes diviſum, mediâ longâ; ad quodlibet latus ſunt duæ alæ acutæ, quarum duæ ad anguſtam cervicem appoſitæ ſunt.

Chamædris Laciniatis foliis. B. Pin. habet florem ejuſdem ſtructuræ.

Chamædris aſſurgens. Dod. Teucrium. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, una ſuperior, quatuor laterales; quatuor ſtamina, apices & ſtylus bifidus, locum labii ſuperioris occupant, labium inferius album eſt, in quinque partes diviſum, infimâ longiore, quatuor laterales vireſcentes.

Chamædris quæ Teucrium Bœticum. Cluſ. Calix & flos eodem ferè modo diviſi, infimâ latiore pallidè cæruleâ, alæ verò pallidè luteæ.

Chamædris Chamæpytios folio, flore magno albo. Pſeudo-Chamæpytis. Cluſ. folia habet Chamæpytios tripartita, florem Chamædrios magnum. Calix in quinque partes diviſus, una ſuperior, duæ laterales, duæ inferiores; flos magnus figuræ floris Chamædrios, pars infima labii concava, crenata, adſunt in labro duæ lineæ purpuraſcentes, una in quolibet latere.

Chamædris maritima incana fruteſcens, foliis lanceolatis. Inſt. R. Herb. Marum. Cortuſ. I. B. Calix ut Chamædris; ſtamina, apices & ſtylus eodem in loco; labium purpuraſcens in extremitate diviſum, cum quatuor alis ad latera, quarum duæ ad cervicis anguſtiam rectæ ſunt & acutæ.

CAPUT SECUNDUM.

Scordium.

SCordium. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, una ſuperior, quatuor laterales, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylo purpuraſcentibus; labium cæruleo-purpureum, in medio ſulcatum, cum quatuor alis ad latera. Quamvis magna adſit inter Scordium & Chamædrin ſimilitudo, jure ſeparavimus ob plantæ habitum, & ne nominis identitate fallantur Pharmacopæi.

CAPUT TERTIUM.

Scorodonia.

SCorodonia, ſive Salvia Agreſtis. Ger. Raii. flores habet in ſpicam uno verſu diſpoſitos, ideò rectè à Chamædri ſeparanda; ſtamina ſunt purpuraſcentia, apices lutei, labium & alæ ſunt pallidè luteæ.

CAPUT QUARTUM.

Chamæpytis.

CHamæpytis vulgaris lutea, vel folio trifido. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, ſtamina, apices & ſtylus locum labii ſuperioris occupant; labium luteum bifurcatum, cum maculis purpureis, & parvis alis ad latera.

CAPUT QUINTUM.

Polium.

POlium Montanum album. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, una ſuperior, quatuor laterales; in locum labii ſuperioris ſunt quatuor ſtamina alba, apices purpurei, & ſtylus bifidus; labium album in quinque partes diviſum, media longa cochlearis formâ, duæ laterales, duæ aliæ elatæ, & ſe ferè tangentes ad anguſtiam tubuli appoſitæ.

Polium Montanum luteum. B. Pin. eodem modo.

Polium Pyrenaicum ſupinum Hederæ terreſtris folio. Inſt. R. Herb. Calix eodem modo diviſus; ſtamina, apices & ſtylus ſunt loco labii ſuperioris; labium anguſtatur, eodem modo diviſum; duæ etiam alæ purpureæ ſe ferè tangunt. Illud à plurimis annis collegeramus inter altiores Scopulos montis Bugaracht in Pyreneis.

Polium Lavandulæ folio. B. Pin. flos major eſt; duo foliola quæ ſunt propè tubuli anguſtiam ſunt ſtriata.

CAPUT SEXTUM.

Bugula.

BUgula. Dod. Calix in quinque partes acutas diviſus, duæ ſuperiores, tres inferiores; ſtamina, apices lutei, ſtylus longus & bifidus locum occupant labii ſuperioris, quidquid dicat Rivinus. Labium cæruleum eſt latum & bifidum cum duabus alis, & in anguſtiâ tubuli ſunt duo denticuli.

SECTIO

SECTIO NONA.

Plantæ cum Calice externo flore Polypetalo, flore non ſpecioſo.

CAPUT PRIMUM.

Kali.

KAli majus Cochleato ſemine B. Pin. Calix membranaceus, lucidus, apertus, in quinque partes parum diviſus; flos albus quinque parva petala habet, quæ cito decidunt, leviter fimbriata; quinque brevia ſtamina alba, & apices luteos, rectos; ſemen cochleæ modo intortum, & Calici incluſum.

CAPUT SECUNDUM.

Urtica.

URtica cum florem habeat petalodem, ex claſſe florum ſtamineorum excludi debet & hic collocari. Petala enim habet quatuor alba, aut quinque ut in Urticâ Canadenſi, quæ ſtamina vocari non poſſe credimus, & an aliæ ſint ſteriles, aliæ ſeminiferæ valde dubitamus, in omnibus enim Urticæ plantis quas ſedulo examinavimus, flores & ſemina obſervavimus: verum quidem eſt quod in tantâ florum multitudine omnes ſemen non ferunt, quod omnibus plantis accidit.

Urtica Romana, ſive Mas cum globulis. I. B. Globulos

racematim profert, quilibet globulus plures habet Calices in quatuor partes diviſos, cum quatuor petalis albis; Calices illi clauduntur deciſo flore & ſimul juncti globulum efficiunt pilis pungentibus exaſperatum, ſicut & tota planta; in quolibet Calice eſt unum ſemen Lini ſemini æmulum.

Urtica major vulgaris I. B. flores ſunt ſimiliter racemoſi, ſed in globulos non junguntur; Calices etiam & flores albi quadrifolii cum pilis urentibus: mirum quod dicit Raius ex alterius obſervatione, non quod ſpinulæ illæ urentes ſint concavæ & fiſtuloſæ cum mucronibus acutis, ſed quod ſingulæ folliculos habeant humore venenoſo repletos, qui compreſſi ſyringarum modo humorem effundant, ſed quis illud videre potuit? numquid ſola ſpinulæ intromiſſio ſufficit ad pruriginem illam producendam, quæ levi affrictu curatur.

Urtica minor annua. I. B. flores etiam ſunt racematim ſecundum Caulem diſpoſiti; Calix in duas partes aperitur; flores tetrapetali albi, in principio anguſti, deinde latiores in modum Cochlearis excavati; ſemen parvum eſt unum in quolibet Calice, Lini ſeminis figuræ, è tanto florum numero pauca producuntur ſemina.

Urtica racemoſa Canadenſis. Hort. R. Par. Calix in quinque partes diviſus eſt; quinque petala alba cum ſtylo in medio; ſemen planum extra Calicem apparet.

CAPUT TERTIUM.

Juncus.

JUnci inter flores ſtamineos à Botanicis reponuntur, ſed nos qui petala habere vidimus, rectius inter flo-

res petalodes collocabimus, nec ſeparabimus Juncos à Scirpis, quamvis Calicis formâ differant, ut fecit Clariſſ. Tournefort. qui Scirpos apetalos dicit & Juncis florem roſaceum, neſcio quo jure, tribuit, cum utrorumque habitus Juncos eſſe demonſtret; nam ſi quædam in foliis diverſitas illum ad nova genera plantarum conſtituenda induxit, tanta inter Juncos & Scirpos ſimilitudo nos cogit eos ad idem genus reducere: quod ſi adſit quædam in floribus varietas, illud indicat potius characterem à floribus deſumptum eſſe inſufficientem, nec poſſe inſervire ad ſumma genera ſtabilienda.

Juncus Calice regulari Paniculatus. Junci omnes enodes ſunt.

JUncus acutus capitulis Sorghi. B. Pin. paniculam habet ex plurimis capitulis Sorgho æmulis, fuſcis & ſplendentibus compoſitam; quodlibet capitulum duplicem habet Calicem externum, primum in infimâ parte brevem, ex octo aut decem foliolis, alterum verò oblongum qui florem involvit, ex quibuſdam foliolis, longis, albis, anguſtis ut in aliis Juncis: Calix ille ſemine maturo in tres partes dehiſcit, ſivè eſt tricapſularis, ſemina continens parva, anguſta, lucida, caudata, colore Succini.

Juncus Calice ſquamoſo.

JUncus Maximus ſive Scirpus major. B. Pin. in ſummo paniculas ruffas producit inæquales, ſquamatim compactas: inter ſquamas emergunt petala alba, longa, anguſta.

Juncus acutus Maritimus capitulis rotundis. B. Pin. plura capitula producit conglobata, aliquando cum pediculis, aliquando ſine pediculis, Caulem amplectentia, ſquamoſa cum quibuſdam foliolis albis, longis, anguſtis quæ ſunt potius petala quam ſtamina; ſemen parvum vireſcens, lucidum, ovalis figuræ, parum caudatum.

Juncus Capitulis Equiſeti. B. Pin. in vertice capitulum habet ſquamoſum, aliquando rotundum, aliquando oblongum, rufeſcens; ad latera, foliola ſeu petala habet alba ut alii Junci.

Flore magis ſpecioſo.

CAPUT QUARTUM.

Limonium.

LImonium Maritimum majus. B. Pin. Calix coloris rubiginoſi in quinque partes cum totidem ſtriis diviſus; flos quinque habet petala cærulea; quinque ſtamina, & apices albos; unicum ſemen in quolibet Calice.

Limonium Maritimun minus Oleæ folio. B. Pin. Calix albo-ferrugineus, leviter etiam in quinque partes diviſus; flos cæruleus pentapetalos cordatus.

Limonium Maritimum minimum. B. Pin. Calicem habet album eodem modo diviſum; flos pentapetalos cæruleus; quinque ſtamina & apices albi.

Limonium peregrinum foliis Aſplenii. B. Pin. è contra iſtud Limonium Calicem habet cæruleum; florem autem album pentapetalon, cum ſtaminibus & apicibus al-

bis. I. B. Calicem ſumit pro flore. Cluſ. ei tribuit duplicem florem, unum cæruleum, alium album, ſumit Calicem pro primo flore.

Flore ſpecioſo.

CAPUT PRIMUM.

Filipendula.

Filipendula. I. B. Calix parvum eſt acetabulum in ſex parvas partes acutas & reflexas diviſum; flores albi, exterius rubentes, in umbellæ formam diſpoſiti, exapetali, in quorum medio magnus ſtaminum, & apicum luteorum plexus ſeſe explicat, quibus ſuccedunt plura ſemina ſtellatim diſpoſita.

CAPUT SECUNDUM.

Ranunculus.

Ranunculus Pratenſis erectus acris. B. Pin. Calix quinquefolius qui cito decidit; flos pentapetalos luteus, ſplendens, cum plurimis ſtaminibus & apicibus luteis; plurima etiam ſtamina ſunt quæ placentæ adhærent.

Ranunculus Montanus folio Gramineo. B. Pin. Calix & flos eodem modo; petala ſunt ſinuata; ſtamina brevia, & apices diviſi; ſemina etiam placentæ affixa.

Ranunculus Aquaticus folio rotundo & capillaceo. B. Pin. Calix eodem modo; flos albus; ſtamina longa alba; apices lutei, cætera ejuſdem ſtructuræ.

Ranunculus foliis Anthemidis, floribus rubicundis & ſplendentibus. Cæſalp. Adonis vulgò I. B. Calix pentaphillos; flos quinque, ſex, ſeptem & plura habet petala intenſo cruore ſatura, unguibus nigricantibus; ſtamina & apices ejuſdem ferè coloris; ſemina placentæ affixa.

Ranunculus latifolius Lugd. Chelidonia rotundifolia, major. B. Pin. Calix quadrifolius virens, parvus; petala verò longa, anguſta, lutea, intus lucida; ſtamina brevia, cum apicibus rectis, luteis, latis, ſulcatis, qui Caput ſeminale ambiunt.

Ranunculus Tridentatus vernus flore albo ſimplici. Inſt. R. Herb. Trifolium Hepaticum flore ſimplici. B. Pin. Calix tria habet folia lata; flos quinque vel ſex petala alba; plurima brevia ſtamina & apices albos.

Cum plurimæ ſint plantæ quibus Ranunculi nomen datum eſt, ſi ſint quædam quæ capſulam habeant, alibi erunt collocandæ; ſic enim Parnaſſia, quæ videtur Ranunculi ſpecies, merito novum genus conſtituit inter plantas quæ duplicem habent Calicem.

CAPUT TERTIUM.

Aliſma; vulgo Plantago Aquatica.

PLantago Aquatica latifolia. B. Pin. Calix tria habet folia; flos tria petala albo-cærulea; ſex ſtamina cum apicibus luteis & ſtylum.

Plantago Aquatica anguſtifolia. B. Pin. eodem modo.

Plantago. Quæ Sagitta Aquatica major. B. Pin. florem ſic deſcribit. I. B. ſub flore ſunt tria foliola viridia, nempe

Calix ; flores pediculis innixi pulcherrimi , mediocriter magni , tribus foliolis albis conſtantes, ungue purpuraſcente notatis ; in medio apices multi rubentes ; capitula ſunt ſubpurpurea , ex aculeis veluti conſtantia, qui nihil aliud ſunt quam ſemina lata , compreſſa , in acumen deſinentia.

CAPUT QUARTUM.

Tormentilla.

TOrmentilla. B. Pin. duplicem habet Calicem externum , exterior in quatuor partes reſupinas dividitur , interior in quatuor etiam partes ; flos tetrapetalos luteus petalis cordatis , multa ſtamina & apices lutei ; caput ſeminale in medio.

CAPUT QUINTUM.

Pentaphyllum.

PEntaphyllum , ſive Quinquefolium vulgare repens. I. B. Calix hirſutus, in decem partes diviſus , quarum quinque longiores , quinque mediæ breviores ; flos pentapetalos luteus , leviter cordatus , multa ſtamina ; apices lutei , & ſtyli in capitulo ſeminali.

CAPUT SEXTUM.

Pentaphylloides.

PEntaphylloides Argenteum alatum , ſeu Potentilla. Inſt. R. Herb. Argentina. Dod. Calix in decem partes

diviſus, quinque intermediæ quaſdam habent diviſuras; flos pentapetalos luteus multa habet ſtamina, apices & ſtylos.

Pentaphylloides erectum I. B. eodem modo ſe habet.

Pentaphylloides Orientale erectum Pimpinellæ foliis & facie. Coroll. Inſt. R. Herb. Calix eodem modo; flores lutei; petala cordata.

Pentaphylloides Paluſtre rubrum. Inſt. R.Herb. Pentaphyllum, vel potius Heptaphyllum flore rubro. I. B. Calix in quinque partes majores purpuraſcentes diviſus, cum quinque minoribus ad latera; flos purpureus pentapetalos cum pluribus ſtaminibus, apicibus, & ſtylis.

CAPUT SEPTIMUM.

Fragaria.

FRagaria vulgaris. B. Pin. Calix in decem partes acutas diviſus; flos pentapetalos albus, multa ſunt ſtamina alba; apices lutei; fructus inæqualis, ſucco ſanguineo prægnans, cui adnaſcuntur ſemina multa exigua.

Rigoroſe agendo, & ſecundum noſtrum characterem Fragaria deberet reponi inter plantas quæ duplicem habent Calicem; quamvis enim in plantæ habitu & flore cum aliis Fragariis conveniat, fructus eſt ſufficiens ſeparationis cauſa. Si quis igitur rigidus cenſor velit, ad librum tertium referat, nihil enim facit illud contra noſtrum characterem, & ſeparatio ab aliis ſpeciebus juſta cenſeri poteſt: diximus tamen in materiâ tam intricatâ aliquid dandum eſſe ſenſibus.

SECTIO

SECTIO DECIMA.

De Plantis cum Calice externo flore compoſito.

Vocamus plantas flore compoſito quarum flores ex plurimis floſculis aut ſemifloſculis componuntur (verba ſunt Tournefort. quibus utimur clarioris doctrinæ gratiâ) quos ambit & continet Calix externus.

Sed quia aliæ ſunt plantæ flore compoſito, cum ſolis ſemifloſculis, aliæ cum ſemifloſculis & floſculis, aliæ cum ſolis floſculis, tres erunt partes hujuſce Sectionis. Addemus quartam de plantis flore compoſito, quarum petala diſcum ambientia ſimplicia ſunt, cum floſculis in diſco. Quintam de plantis flore compoſito improprie dictis, quæ præter cómmunem Calicem unus quiſque flos proprium habet, ſive flos ſit monopetalos, ſive polypetalos. Separabimus etiam in unâquaque Sectionis parte eas quæ ſemen habent pappoſum ab iis quæ ſemen habent ſolidum.

Cum autem inter plantas flore compoſito quædam reperiantur quæ ſemen habent capſulæ incluſum, ut Zacintha, Calendula & aliæ, ſi hæc diſtributio quibuſdam non placet, facile erit ex his plantis quæ capſulam habere videntur novam Sectionen facere quæ amandabitur ad Librum tertium, cum plantis quæ duplicem habent Calicem externum & internum. Nec poteſt dici quod ſeparentur quæ conjuncta eſſe debent cum naturalis ſit ſeparationis cauſa: capſulares enim plantæ jure merito à non capſularibus debent ſeparari; illas tamen hic relin-

quimus clarioris doctrinæ gratiâ, nihil enim id facit contra noſtrum characterem.

SECTIONIS DECIMÆ PARS I[a].

De Plantis floribus compoſitis ſemifloſculoſis, ſeminibus Papposis, Cauleſcentibus.

CAPUT PRIMUM.

Lactuca.

LActuca ſativa. B. Pin. Calix ſquamoſus, longus, tenuis; flos ex ſemifloſculis luteis dentatis componitur, è quolibet ſemifloſculo exit ſtylus bifidus; ſemen utrinquè acuminatum, longum, compreſſum, albo-cinereum, pappoſum.

Lactuca Sylveſtris coſtâ ſpinosâ. B. Pin. eodem modo ſe habet, ſed ſemen nigrum eſt pappoſum.

Lactuca Sylveſtris odore viroſo. B. Pin. flos eodem modo; ſemen etiam nigrum eſt & pappoſum.

CAPUT SECUNDUM.

Sonchus.

SOnchus Lævis latifolius laciniatus. B. Pin. Calix juxta pediculum craſſus, ſquamoſus, cum foliolis longis in ſummitate; flos ex ſemifloſculis extrà rubentibus, intùs luteis obtuſis, cum ſtylo bifido; ſemen longum,

obſcuri coloris, compreſſum, ſtriatum & papposum.

Sonchus aſper non laciniatus. B. Pin. eodem modo.

Sonchus lævis in plurimas & tenuiſſimas lacinias diviſus. B. Pin. eodem modo, ſed ſemina non ſunt compreſſa.

Sonchus anguſtifolius maritimus. B. Pin. Calix & ſemen ut in Soncho lævi.

Sonchus lævis anguſtifolius. B. Pin. terra-crepola vulgò, Calix, & flos ut in aliis ſpeciebus.

CAPUT TERTIUM.

Hieracium.

HIeracium Chondrillæ folio glabro. B. Pin. Calix ex foliis longis componitur, cui ſubjacet veluti alter parvus Calix cum plurimis foliolis, ſemifloſculi ſunt lutei, ſubtùs rubentes, dentati, ſtylo in vaginâ bifido.

Hieracium Echioides capitulis Cardui benedicti. B. Pin. Calix folia habet longa, aſpera, acuta, alio parvo Calice, cum quinque foliis pungentibus & patulis circumdatus; ſemifloſculi lutei ſunt, dentati, cum ſtylo in vaginâ bifido.

Hieracium aſperum majori flore in limitibus agrorum I. B. Calix è foliis longis aſperis, cum altero brevi Calice; ſemifloſculi, lutei, dentati, cum ſtylo in vaginâ bifido.

Plures ſunt plantæ Hieracii nomine donatæ, quæ habito reſpectu ad Calicem, aut ſemina, à quibus præcipuè debent ſumi differentiæ alibi collocabuntur, aut nova genera conſtituent, cum in floribus parum aut nihil differant.

CAPUT QUARTUM.

Chondrilla.

CHondrilla Juncea viſcoſa Arvenſis. B. Pin. Calix è foliis longis, viridibus, ſtriatis; flos habet octo aut decem ſemifloſculos luteos, dentatos, cum ſtylo in vaginâ bifido; ſemen longum ſtriatum.

CAPUT QUINTUM.

Scorzonera.

SCorzonera latifolia ſinuata. B. Pin. Calix eſt ſquamatus; ſemifloſculi lutei, ſtriati, & dentati, cum ſtylo in vaginâ bifido; ſemen longum, anguſtum, anguloſum, angulis punctatis, coloris cinerei, papposum.

CAPUT SEXTUM.

Tragopogon.

TRagopogon Pratenſe luteum majus. B. Pin. Calix è foliis petalis multò longioribus, acutis; floſculi lutei, dentati; vagina è quâ exit ſtylus bifidus, nigreſcit.

Plantæ ſemifloſculoſæ non cauleſcentes.

CAPUT PRIMUM.

Dens Leonis.

DEns Leonis latiore folio. B. Pin. ſinè caule florem producit ex pediculo, cujus Calix folia ha-

bet viridia, longa, quibus ſubjacent coronæ inſtar parva foliola; ſemifloſculi lutei ſunt, ſtriati, & dentati, exteriores lineam habet viridem in dorſo; ſtylus bifidus in vaginâ; ſemen longum ſtriatum, caſtanei coloris, minimis protuberantiis exaſperatum.

Dens Leonis foliis hirſutis & aſperis Hort. R. Monſp. eſt eodem modo; ſeminum protuberantiæ apparent cum microſcopio.

Dens Leonis minor maritimus, Coronopifolio. Folia ſunt diviſa ut Coronopi, craſſa; flos eodem ac in aliis modo; ſemen longum ſtriatum, fortè non deſcriptus. Oritur in maritimis herbidis Lateræ inter Juncos.

CAPUT SECUNDUM.

Piloſella.

Piloſella major hirſuta repens. B. Pin. eam rectè ſeparamus à Dente Leonis. Calicem habet cum foliis longis, piloſis; ſemifloſculi lutei, ſubtùs rubentes, dentati, in reliquis convenit.

Plantæ ſemifloſculoſæ cum ſeminibus ſolidis.

CAPUT PRIMUM.

Chicorium.

Chicorium ſilveſtre, ſivè officinarum. B. Pin. Calix habet ſex aut ſeptem folia viridia, longa, anguſta, quibus alia ſubjacent multò minora; ſemifloſculi cærulei, dentati; ſtylus bifidus in vaginâ, ſemen anguloſum.

Chicorium latifolium, ſivè Endivia vulgaris. Inſt. R. Herb. Calix & flos Endiviæ eodem modo ſe habent ac Chicorium ſylveſtre.

CAPUT SECUNDUM.

Catanance.

CAtanance Dalechamp. folio Coronopi, flore Cyani. I. B. Calix ex ſquamis argenteis, acutis componitur, quarum unaquæque lineam habet in dorſo rubiginoſam; ſemifloſculi cærulei, latè dentati, cum ſtylo bifido & vaginâ luteis.

Catanance flore cæruleo pleno. Inſt. R. Herb. eodem modo ſe habet.

Catanance latiore folio, flore luteo. Inſt. R. Herb. Stæbe Plantaginis folio Proſp. Alpin. Calix eſt cum ſquamis argenteis, acutis; ſemifloſculi lutei cum quibuſdam denticulis, ſtylo & vaginâ.

CAPUT TERTIUM.

Scolymus.

SColymus Theophr. & Eringium luteum Monſp. Ad. Calix ſquamoſus foliis ſpinoſis circumdatus; ſemifloculi lutei ſunt, longi, dentati; ſtylus bifidus in vaginâ quæ extra apparet; ſemina foliolis viridibus circumdantur. Hujus turiones & radices in acetariis veniunt, non autem radices Scolymi annui quæ exſuccæ & inutiles ſunt.

Plantæ ſemifloſculoſæ cum ſemine capſulis incluſo, quæ alibi reponi debent.

CAPUT PRIMUM.

Zacintha.

ZAcintha, ſive Chicorium verrucarium. Math. Calix è pluribus foliis componitur brevibus & longioribus; ſemifloſculi intùs lutei, exteriùs rubeſcentes, quibus ſuccedunt, ut inquit. I. B. Pericarpia pulcherrima, verticillatim diſpoſita, radiata, in quibus ſemen continetur: quod non poteſt dici pappoſum, quamvis enim habeat filum ſemini adnatum, illud non poteſt dici pappus, qui juxta Tournefort. ex plurimis, tenuiſſimiſquè villis radiatim poſitis conſtat.

CAPUT SECUNDUM.

Lampſana.

LAmpſana Dod. Calix è foliis longis, viridibus, quibus ſubjacent parva foliola viridia; ſemifloſculi lutei, dentati; ſtylus bifidus: ſemina dicit Tournefort. eſſe in capſulâ ſtriatâ.

CAPUT TERTIUM.

Rhagadiolus.

RHagadiolus alter Cæſalp. Hieracium ſiliquâ falcatâ. B. Pin. Calix è foliis quibuſdam longis componitur;

ſemifloſculi circiter octo lutei, dentati, ſtylo vaginæ incluſo; folia ut dicit Tournefort. ſtellæ in modum diſpoſita abeunt in vaginas ſemine fœtas.

CAPUT QUARTUM.

Hedypnois.

HEdypnois Annua. Inſt. R. Herb. Hieracium capitulum inclinans ſemine adunco. B. Pin. ſemifloſculi lutei, dentati; ſemina in ſiliquis incurvis, longa, nigreſcentia; ſiliquæ caput inveſtiunt.

SECTIONIS DECIMÆ PARS. IIa.

Plantæ ſemifloſculoſæ & floſculoſæ ſemine papposo.

CAPUT PRIMUM.

Doronicum.

DOronicum Plantaginis folio alterum. B. Pin. Calix plura habet folia longa, anguſta; ſemifloſculi qui caput coronant, longi, anguſti, lutei, dentati; floris diſcus è plurimis floſculis luteis in quinque partes diviſis componitur, cum ſtylo bifido in vaginâ ſupra ſemen thalamo, ſeu placentæ affixum; ſemen pappoſum.

CAPUT SECUNDUM.

Enula Campana.

ENula Campana, ſive Helenium. I. B. uſus nos cogit ab Aſtere ſeparare; Calix ſquamoſus ut cum Raio loquamur

loquamur ex multis foliis viridibus, quorum alia florem arctè continent, exteriora reſupina ſunt; ſemifloſculi in radios diſpoſiti, lutei, longi, anguſti, dentati; diſcus e plurimis floſculis luteis, diviſis; ſtylus bifidus in vaginâ.

CAPUT TERTIUM.

Aſter.

ASter Atticus cæruleus vulgaris. B. Pin. Calix viridis, ſquamoſus; foliorum extrema reſupina; ſemifloſculi cærulei, ſulcati, parum dentati; floſculi diſcum componentes lutei, in quinque partes diviſi, cum longis ſtylis bifidis in vaginâ; ſemen pappoſum.

Aſter Pirenaicus præcox flore cæruleo majori. Hort. R. Pariſ. eodem ferè modo.

Aſter Arvenſis cæruleus acris. Inſt. R. Herb. Coniza cærulea acris. B. Pin. Calix e brevibus & longioribus foliis viridibus, piloſis, velut ſquamatus; ſemifloſculi diſcum ambientes, pallidè purpuraſcentes, longi & anguſti; floſculi luteſcentes, in quinque partes diviſi, multo pappo circumdati, cum ſtylo bifido & vaginâ.

Aſter Montanus luteus Salicis glabro folio. B. Pin. Calix ſquamoſus viridis, extrema folia reſupina, reliquæ floris partes eodem modo ſe habent ac in Aſtere Attico, ſed flos luteus eſt.

Aſter Pannonicus lanuginoſus luteus. Inſt. R. Herb. Calix e foliis longis anguſtis, ſquamatus; ſemifloſculi anguſti cum tribus denticulis diſcus e floſculis luteis in quinque partes diviſis, cum ſtylo bifido in vaginulâ.

Aſter Annuus ramoſus Canadenſis. Moriſſ. Bellis ramoſa umbellifera. Cornuti. Calix eſt ex foliis longis viridibus ; ſemifloſculi umbonem cingentes, albi, longi, & anguſti; floſculi, parvi, lutei, diviſi, cum ſtylis & vaginis.

Aſter Pratenſis Autumnalis Conizæ folio. Inſt. R. Herb. Coniza media Aſteris luteo flore. B. Pin. Calix ſquamoſus ; ſemifloſculi lutei, longi, anguſti, dentati ; floſculi lutei, cum ſtylo & vaginâ eodem modo.

Aſter Paluſtris parvo flore globoſo. Inſt. R. Herb. Coniza major flore globoſo. B. Pin. eodem ferè modo.

CAPUT QUARTUM.

Jacobæa.

JAcobæa vulgaris laciniata. B. Pin. Calix e plurimis foliis quibus ſubjacet veluti coronula breviſſimorum foliorum ; ſemifloſculi lutei, ſulcati ; floſculi etiam lutei, in quinque partes diviſi, cum vaginâ & ſtylo bifido.

Jacobæa 3ª. latifolia 1ª. Cluſ. Hiſt. Calix & flores eodem modo ſunt.

Jacobæa Maritima, ſivè Cineraria. I. B. Calix incanus; ſemifloſculi obtuſi, in reliquis eodem modo.

Jacobæa Senecionis folio. H. R. Bleſ. Calix e plurimis foliis longis compoſitus, cætera eodem modo.

Jacobæa Sicula Chriſanthemi facie Boc. eodem modo ut &c.

Jacobæa foliis ferulaceis flore minore. Inſt. R. Herb. vulgò Achillæa Montana.

Jacobæa Pratenſis altiſſima Limonii folio. Inſt. R. Herb. Virga aurea major vel Doria. B. Pin. habet eumdem caracterem.

CAPUT QUINTUM.

Conyza.

HAbitus plantæ nos cogit has Conyzas ab aliis plantis ſeparare, nec differentiam propriam & neceſſariam putamus, quod aliæ ſint flore radiato, aliæ flore nudo, cum ex eodem ſemine utræque naſcantur.

Conyza major. Lob. Calix ſquamoſus; ſemifloſculi lutei, dentati; floſculi lutei in quinque partes diviſi, cum vaginâ & ſtylo longo bifido.

Conyza minor. Lob. Calix ſquamoſus, foliorum ſummis reſupinis, in reliquis eodem modo.

Conyza caulibus rubentibus flore luteo nudo. Bot. Monſp. flos luteus ſine ſemifloſculis, in reliquis habet habitum Conyzæ.

CAPUT SEXTUM.

Virga Aurea.

VIrga Aurea vulgaris latifolia. I.B. Calix ſquamoſus; ſemifloſculi diſcum ambientes lutei, anguſti, ſulco in medio, dentati; floſculi lutei, in quinque partes diviſi; in medio floſculi emergit vagina longior & obſcurioris coloris, cum ſtylo bifido.

Virga Aurea Limonii folio, paniculâ uno verſu diſpoſitâ. Hort. R. Pariſ. Calix ſquamoſus parvis ſemifloſculis radiatus, luteis, ſulcatis & dentatis; floſculi lutei in quinque partes diviſi, cum vaginâ & ſtylo bifido.

Virga Aurea Virginiana Annua. Zanoni. fortè melius Conyza Canadenſis Annua alba acris. Bocc. Calix ſqua-

moſus ; ſemifloſculi plures ſupra pediculos ſecundum caulem in ſpicam ferè diſpoſiti, albi, ita parvi ut vix conſpiciantur ; floſculi diviſi cum ſuis ſtylis.

CAPUT SEPTIMUM.

Tuſſillago.

TUſſillago vulgaris. B. Pin. Calix e pluribus foliis longis, viridibus compoſitus eſt ; innumeri ſemifloſculi lutei, anguſtiſſimi, radiatim diſpoſiti ; floſculi diſcum componentes, lutei, diviſi, cum ſtylo & vaginâ.

Plantæ ſemifloſculoſæ & floſculoſæ ſemine ſolido, quarum aliæ florem habent ſingularem, aliæ veluti in umbellam diſpoſitum, Cauleſcentes & non Cauleſcentes.

Flore ſingulari Cauleſcentes.

CAPUT PRIMUM.

Helenium.

HElenium Indicum maximum. B. Pin. Flos ſolis. Gerard. Raii. Calix è pluribus foliis latis, acutis, in extremo reſupinis ſquamatur ; ſemifloſculi qui umbonem coronant, magni, lutei, ſulcati, marginati ; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, cum alio intermedio eodem modo diviſo, ex quo emergit vagina nigricans, anguloſa, intra quam ſunt plurima ſtamina lutea, & ſemen includitur, quo deciſo, vaginæ illæ favum referunt pulchro ordine diſpoſitum.

Helenium Indicum minus B. Pin. Calix e ſquamis viridibus, aſperis, longis, & acutis; ſemifloſculi radiatim diſpoſiti, lutei, longi, lati, ſtriati; diſcus plurimos habet floſculos luteos, in quinque partes diviſos, vaginas & ſtylos bifidos.

Helenium Americanum laciniato folio. H. R. Monſp. Aconitum Helianthemum Canadenſe. Cornuti. eodem modo ſe habet.

CAPUT SECUNDUM.

Tagetes.

TAgetes maximus rectus flore ſimplici ex luteo-pallido. I. B. vulgò Flos Africanus. Calix eſt tubulus latus qui ex plurimis foliis ſulcatis, & acutis videtur compoſitus; ſemifloſculi lutei ſunt lati, inæqualiter in extremo diviſi, cum ſtylo bifido ex fundo ſemifloſculi orto; diſcus plurimos habet floſculos & ſtylos ut in aliis plantis radiatis; ſemen longum, nigricans cum folio in ſummitate: ſunt aliquando plantæ cum ſolis floſculis.

CAPUT TERTIUM.

Chryſanthemum.

CHryſanthemum Creticum primum. Cluſ. Calix e plurimis foliis viridibus ſquamatus; ſemifloſculi lutei, in extremitate diviſi; floſculi lutei in quinque partes diviſi cum ſtylo bifido.

Chryſanthemum folio minus ſecto glauco. I. B. ſemifloſculi in tres partes diviſi ſunt, in cæteris eodem modo ſe habet.

Chryſanthemum Mycon. Lugd. ſemifloſculi in duas partes ut plurimum diviſi; in reliquis convenit.

Chryſanthemum Cotulæ folio. Buphtalmum Cotulæ folio. B. Pin. Calix ſquamatus; ſemifloſculi aliquando partim lutei, partim albi, ut in Chryſanthemo Cretico. Cluſ. in reliquis convenit.

CAPUT QUARTUM.

Buphtalmum.

BUphtalmum Tanaceti minoris folio. B. Pin. Calix e ſquamis viridibus; ſemifloſculi lutei radiatim diſpoſiti, ſulcati & dentati; floſculi diſcum componentes lutei, in quinque partes diviſi, cum ſtylo bifido.

CAPUT QUINTUM.

Leucanthemum.

LEucanthemum vulgare inſt. R. Herb. Bellis ſylveſtris caule folioſo major. B. Pin. Calix viridis, ſquamoſus; ſemifloſculi radiatim diſpoſiti, albi, ſulcati, cum tribus denticulis; diſcus e floſculis luteis cum ſtylo bifido.

Leucanthemum gramineo fol. Bot. Monſp. eodem modo.

CAPUT SEXTUM.

Chamæmælum.

CHamæmælum nobile, ſeu odoratius. B. Pin. Calix viridis, ſquamoſus; ſemifloſculi radiatim diſpoſiti, albi, ſulcati, cum tribus denticulis; floſculi diſci lutei, in quinque partes diviſi, cum ſtylo bifido.

Chamæmælum inodorum. B. Pin. Calix eſt veluti ſquamoſus, e foliis viridibus in limbo albis; ſemifloſculi albi, dentati, in baſi lutei, reſupini; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, cum ſtylo bifido.

Chamæmælum marinum. I. B. Calix ſquamoſus; ſemifloſculi albi, ſulcati, & dentati; floſculi, lutei, in quinque pates diviſi, cum ſtylo bifido, & vaginâ croceâ.

Chamæmælum. Sivè Bellis fruteſcens Montana acris. H. R. Monſp. flos ejuſdem ſtructuræ.

Chamæmælum. Sivè Bellis Abſinthii majoris folio. Viali. Differt præcipuè Leucanthemum à Chamæmælo foliorum diviſurâ.

CAPUT SEPTIMUM.

Aſteriſcus.

ASteriſcus foliis ad florem mollibus. Aſter Annuus, Attico luteo ſimilis, foliis ad florem mollibus Bot. Monſp. Calix viridis, ſquamoſus, cum pluribus foliis viridibus, multò petalis longioribus; ſemifloſculi lutei, anguſti, cum tribus denticulis; diſcus è floſculis luteis, quinquefidis, cum ſtylo bifido, & foliis intermediis.

Aſteriſcus Annuus foliis ad florem rigidis. Aſter luteus foliis ad florem rigidis. B. Pin. eodem modo.

Plantæ flore ſemifloſculoſo & floſculoſo non Cauleſcentes.

Bellis.

BEllis Sylveſtris minor. B. Pin. Calix viridis, ſquamoſus; ſemifloſculi radiatim diſpoſiti, albi, longi,

anguſti; floſculi diſcum componentes lutei, quinquefidi.

Bellis hortenſis flore pleno, eoque magno. B. Pin. flos ex ſolis ſemifloſculis componitur.

Plantæ flore ſemifloſculoſo & floſculoſo ſemine Capſulâ involuto.

Calendula.

Calendula minor Arvenſis. H. Lugd. Bat. Calix e plurimis foliis longis, viridibus, & anguſtis, ſquamatus; ſemifloſculi lutei, dentati; floſculi diſcum componentes lutei, quinque-partiti, cum ſtylo in vaginâ; ſemen in capſulis incurvis & dentatis.

Calendula flore pleno. Eyſt. ſemifloſculi ſunt ſulcati, & dentati.

Plantæ flore ſemifloſculoſo & floſculoſo, quæ flores veluti in umbellam diſpoſitos habent, ſemine ſolido.

CAPUT PRIMUM.

Athanaſia.

Athanaſia, Leucanthemos. Dalech. Lugd. Tanacetum inodorum Bellidis flore. B.Pin. flores in umbellam diſpoſiti; Calix ſquamatus; ſemifloſculi albi, longi, radiatim diſpoſiti, cum quibuſdam lineis in longum excurrentibus; umbo componitur ex parvis floſculis luteis. Caput proprium meretur, cum neque ad Tanacetum reduci poſſit neque ad Matricariam, a quibus toto habitu differt.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Matricaria.

MAtricaria vulgaris, ſeu ſativa. B. Pin. Calix e foliis viridibus, longis, acutis, ſquamoſus; ſemifloſculi albi, radiatim diſpoſiti, emarginati; diſcus e floſculis luteis, in quinque partes reſupinas diviſis, cum ſtylo vix conſpicuo.

Matricaria flore pleno. B. Pin. habet ſemifloſculos & floſculos albos.

CAPUT TERTIUM.

Ptarmica.

PTarmica vulgaris folio longo ſerrato, flore albo I. B. flores umbellæ modo; Calix ſquamoſus; ſemifloſculi albi, parvi, rugoſi, cum tribus denticulis; floſculi albi, in quinque partes diviſi; vix poteſt conſpici ſtylus luteus.

Ptarmica Alpina foliis profundè inciſis. El. Bot. Dracunculus pratenſis alter Alpinus, Agerati foliis. Hort. R. Pariſ. eodem modo.

Ptarmica Americana Erucæ folio, Matricariæ facie. Calix ſquamoſus cum quibuſdam foliis exterioribus; quinque ſemifloſculi parvi, albi, veluti cordati; floſculi albi, in quinque partes diviſi.

Ptarmica Alpina Tanaceti folio. El. Bot. Calix ſquamoſus; quinque ſemifloſculi purpuraſcentes; floſculi albi cum ſtylo bifido.

Ptarmica Orientalis Santolinæ folio, flore majore. Coroll. Inſt. R. Herb. flores quaſi umbellati, Calix e foliis longis, ſquamatus; ſemifloſculi breves, Cochlearis formæ, lutei, ut & floſculi in quinque partes diviſi, & ſtylus.

CAPUT QUARTUM.

Milleſolium.

MIlleſolium vulgare album. B. Pin. flores in umbellâ; Calix ſquamoſus; quinque ſemifloſculi albi parvi, ſulcati, in radios diſpoſiti; floſculi albi in quinque partes diviſi cum ſtylo bifido.

Milleſolium tomentoſum luteum. B. Pin. ſeptem aut octo ſunt ſemifloſculi lutei, lati; floſculi lutei, diviſi ut & ſtylus; Calix eodem modo.

Milleſolium Orientale erectum luteum. Coroll. Inſt. R. Herb. Calix in quinque partes profundè diviſus; ſemifloſculi lutei, ut & diſcus eodem modo ſe habent.

SECTIONIS DECIMÆ PARS IIIa.

De Plantis flore Compoſito floſculoſo capitatis dictis, quæ ſemen habent papposum capite majore.

CAPUT PRIMUM.

Carduus.

CArdui nomine intelligimus plantas capitatas, quæ caput & folia habent ſpinoſa, ſed quià maximus eſt earum numerus, quaſdam ad diverſa capita reducimus, ad vitandam confuſionem: ità Cnicum ſeparabimus cum Botanicis, cinaram, quia aliæ ſunt cum foliis ſpinoſis, aliæ non ſpinoſis.

Carduus Marianus ſivè albis maculis notatus. I. B. ſqua-

mæ capitis in longas ſpinas valdè acutas terminantur, ad latera ſquamarum plures ſunt ſpinæ breviores; floſculi ſunt dilutè purpuraſcentes; exteriores majores, interiores verò breviores, in quinque partes diviſi cum ſtylo vaginæ incluſo.

Carduus Galactites. I. B. ſquamæ longæ, valdè acutæ; floſculi exteriores magni, in quinque lacinias profundè diviſi, purpuraſcentes, interiores breviores, ſimiliter diviſi cum ſtylo vaginæ incluſo.

Carduus anguſtifolius ſpinoſiſſimus vulgaris. B. Pin. ſquamarum ſpinæ ſimiliter rectæ; floſculi dilutè purpurei, cum ſtylo vaginæ incluſo.

Carduus Lanceolatus, ſive ſylveſtris. I. B. ſpinæ ſquamarum rectæ, in cæteris eodem modo.

Carduus tomentoſus Acanthi folio vulgaris. El. Bot. in hoc præcipuè ab aliis differt, quod ſpinæ capitis recurvæ ſint, in cæteris eodem modo ſe habet.

CAPUT SECUNDUM.

Cnicus.

CNicus, Attractilis lutea dictus. H. Lugd. Bat. Calix plures habet ſquamas ſpinoſas, longiores, plurimas circum folia ſpinas; floſculi lutei, in quinque partes diviſi; ſtylus in vaginâ foliis albis & pappo circumdatus.

Cnicus ſylveſtris hirſutior, ſivè Carduus benedictus. B. Pin. Calix habet ſquamas cum ſpinâ longâ in ſummitate, aliis ad latera brevioribus ordine diſpoſitis; floſculi lutei diviſi; ſtylus in vaginâ purpureâ.

Cnicus cæruleus aſperior. B. Pin. Calix cum ſquamis

minus ſpinoſis ; floſculi cærulei , in reliquis eodem modo ſe habet.

CAPUT TERTIUM.

Cinara.

CInaram foliis ſpinoſis & non ſpinoſis ex eodem ſemine naſci credunt Botanici.

Cinara Hortenſis foliis non aculeatis. B. Pin. caput habet turbinatum , ſquamis magnis , latis, glaucis , carnoſis & veſcis ; floſculi purpuraſcentes in quinque partes diviſi ; ſtylus intra vaginam.

CAPUT QUARTUM.

Cirſium.

CIrſium foliis non hirſutis, floribus compactis. B. Pin. ſquamæ capitis virides ſunt, & deſinunt in leve acumen purpuraſcens ; floſculi purpuraſcentes , quinque partiti , cum ſtilo vaginæ incluſo.

Cirſium maculis argenteis notatum. El. Bot. Calicem habet eodem modo non ſpinoſum , quamvis folia ſpinoſa ſint ; in reliquis eodem etiam modo.

Cirſium Arvenſe Sonchi folio. El. Bot. in ſquamis ſpinulas habet ferè innoxias , ideò ſub Cirſio potius reducitur, quàm ſub Carduo ; floſculi parvi ſunt purpurei.

CAPUT QUINTUM.

Jacea ſpinoſa.

DUo Jaceæ capita cum Raio proponimus : primum earum quæ caput habent ſpinoſum, quæ ad Carduos

referri non poſſunt, cum ut diximus, Carduus debet habere caput & folia ſpinoſa, præter quàm quod multitudo Carduorum memoriam obrueret.

Jacea purpurea ſtellata. Carduus ſtellatus, ſive Calcitrapa I. B. ſquamæ capitis in ſpinas radiatim ſtellæ modo diſpoſitas terminantur; floſculi purpurei, in quinque partes æquales diviſi, cum ſtylo vaginâ incluſo

Jacea cum ſpinoſis capitulis, purpurea, tenuifolia. I. B. Calix cum ſquamis ſpinoſis, quælibet ſquama ſpinam habet longam in ſummitate, quatuor laterales breviores pulchrè diſpoſitas, albo-luteas; floſculi purpurei eodem modo quo ſuperior diviſi, cum ſtylo vaginâ incluſo.

Jacea Marina Bætica Parkins. Calicis ſquama deſinit in ſpinam longam quæ quatuor alias habet in utroque latere breviores, luteas; floſculi exteriores majores, purpurei, in quinque partes profundè diviſi, medii albi, breviores; ſtylus violaceus vaginâ incluſus.

Jacea lutea ſtellata. Carduus ſtellatus luteus, Cyani folio. B. Pin. Spina ſolſtitialis Dod. ſquamæ Calicis ſpinoſæ, media longior, laterales breviores, luteæ; floſculi lutei æquales, ſtilo vaginâ incluſo.

CAPUT SEXTUM.

Jaceæ non ſpinoſæ.

JAcea nigra vulgaris laciniata Parkins. Scabioſa magna Matth. ſquamæ capitis virides, in cacumine nigreſcentes; floſculi in quinque partes profundè diviſi, æquales, albo-purpurei; ſtylus longus, vaginâ incluſus.

Jacea cum ſquamis cilii inſtar piloſis. I. B. ſquamæ,

pilis ciliorum inſtar circumdantur; floſculi exteriores purpurei, in quinque partes longas, & anguſtas diviſi, interiores breviores, ſtylo vaginâ incluſo.

Jacea Luſitanica ſempervirens. H. R. Pariſ. Calix ſquamas habet virides cum ſpinulis non pungentibus; floſculi amœnè purpurei regulares, in quinque partes diviſi, ſtylo bifido vaginâ incluſo.

Jacea humilis alba Hieracii folio. B. Pin. ſquamæ calicis virides ſunt cum circulo obſcurè purpureo; floſculi purpuraſcentes, multum diviſi, æquales, medii albi, cum ſtylo vaginâ incluſo.

Jacea nemorenſis quæ Serratula vulgò. Inſt. R. Herb. Calix cum parvis ſquamis viridibus; floſculi purpurei, in quinque partes profundè diviſi; ſtyli obſcuriùs purpurei vaginâ incluſi.

Jacea Annua, foliis ſerratis, purpuraſcente flore. El. Bot. Condrilla rara purpurea Lob. ſquamæ Calicis virides, in ſummitate purpuraſcentes; floſculi pupurei, in quinque partes profundè diviſi; interiores breviores, ſtylo vaginâ incluſo.

Jacea foliis Cichoraceis villoſis altiſſima, flore purpureo. Inſt. R. Herb. Stæbe Salmanticenſis prior. Cluſ. ſquamæ capitis virides, nitidæ; floſculi purpuraſcentes regulares; ſtylo vaginâ incluſo.

Jacea latiſſimo laciniato folio. B. Pin. Babilonica B. Prodr.. Calix ſquamoſus; floſculi regulares lutei; in quinque partes diviſi; ſtylis vaginis incluſis.

CAPUT SEPTIMUM.

Cyanus.

CYani floſculi exteriores ſunt irregulariter diviſi.

Cyanus Hortenſis flore ſimplici. B. Pin. ſquamæ Calicis virides, circum purpuraſcentes, cum pilis albis; floſculi cærulei, exteriores majores, in octo partes inæqualiter diviſi, quatuor ſuperiores, longiores, inferiores breviores; floſculi medii minores, in quinque partes æqualiter diviſi; ſtylo in vaginâ.

Cyanus repens latifolius. B. Pin. ſquamæ Calicis albæ ſunt cum purpureo mixto; floſculi exteriores purpurei, in quinque partes irregulares diviſi; ſtylo vaginâ incluſo.

Cyanus Montanus latifolius. B. Pin. ſquamæ Calicis virides, dentatæ, circum purpureæ; floſculi purpurei, irregulariter diviſi, externæ diviſuræ ſuperiores in quatuor partes longiores, inferiores in duas breviores; medii floſculi in quinque partes regulares diviſi, breviores; ſtylis longis vaginis incluſis.

Cyanus floridus odoratus Turcicus, ſive Orientalis major. Parkis. flore purpureo. Calix craſſus eſt, ſquamatus; floſculi plures habent diviſuras, minores & minus diviſi; ſtyli bifidi vaginis incluſi.

Cyanus Siculus, Cichicorii ſylveſtris folio, flore luteo. Jacea Sicula, Cichorii ſylveſtris folio, flore luteo, capite ſpinoſo. Boc. Calix cum ſquamis luteis ſpinoſis; floſculi lutei in quinque partes inæquales diviſi, tres longiores, duæ breviores, ſtylo vaginâ incluſo. Debet inſtitui caput Cyani capite ſpinoſo, ſicut factum eſt de Jaceâ.

CAPUT OCTAVUM.

Centaurium.

CEntaurium majus, ſolio in plures lacinias diviſo. B. Pin. ſquamæ Calicis virides, nitidæ, in margine purpuraſcentes; floſculi purpurei in quinque partes profundè diviſi; ſtylis longis pulvere luteo aſperſis, vaginâ incluſis.

Centaurium foliis Cinaræ. Corn. ſquamæ Calicis virides, circum argenteæ; caput majus, cætera eodem modo.

Centaurium majus incanum humile, capite Pini. El. Bot. Calix craſſus, ſquamæ argenteæ, in extremitate purpuraſcentes; floſculi purpurei, in quinque partes diviſi; ſtyli longi, albi cum vaginâ.

CAPUT NONUM.

Bardana.

BArdana aut Lappa major. I. B. Calicis ſquamæ deſinunt in ſpinulas non pungentes, hamatas quæ veſtibus tenaciter adhærent; floſculi purpurei in quinque partes diviſi; ſtylis vaginâ incluſis.

Plantæ capitatæ dictæ ſemine ſolido.

Carthamus.

CArthamus, ſive Cnicus. I. B. Calix craſſus qui circum habet plurima folia; floſculi ſubrubentes, longi, in quinque partes profundè diviſi; ſtylis, longis, vaginâ incluſis.

Plantæ

Plantæ compoſito flore floſculoſo, capitulis minoribus, ſemine pappoſo.

CAPUT PRIMUM.

Eupatorium.

EUpatorium Cannabinum. B. Pin. flores ſunt quaſi in umbellâ; Calix purpureus, ſquamatus intra quem ſunt ut plurimum quinque floſculi purpurei, in quinque partes diviſi; ſtyli albi profundè in duas partes diviſi.

CAPUT SECUNDUM.

Senecio.

SEnecio vulgaris, ſivè Erigerum. I. B. Calix in plura foliola diviſus, cum quibuſdam punctis nigricantibus; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, minimi; Calix ſemine maturo deorſum ad pediculum reflectitur.

CAPUT TERTIUM.

Petaſites.

PEtaſites major & vulgaris. B. Pin. flores in Thyrſum faſtigiantur, quorum Calix e foliis longis, purpuraſcentibus componitur; floſculi albi ſunt, quinque-partiti, leviter in limbis purpuraſcentes, cum vaginâ purpureâ.

CAPUT QUARTUM.

Cacalia.

CAcalia foliis cutaneis, acutioribus & glabris. B. Pin. flores veluti in umbellâ ſupra breue pedicu-

culum; Calix viridis, in quinque folia diviſus, cum floſculis purpureis.

Cacalia Americana. Parkins. Valeriana Urticæ folio, flore albo. Cornut. Calix ſimiliter in longa folia diviſus; floſculi albi, in quinque partes diviſi, cum parvis ſtaminibus & apicibus; ſtylis bifidis vaginâ incluſis.

Cacalia Americana, Lamii folio. Senecio Americanus, Lamii facie. Sch. Bot. Pariſ. Calix plura videtur habere folia viridia; floſculi albi, in quinque partes diviſi; ſtylo longo bifido, &c.

CAPUT QUINTUM.

Baccharis.

BAccharis. Monſpelienſ. Lob. Coniza major. Matth. Calix viridis, ſquamoſus, ſquamis deorſum reflexis; adſunt plurima foliola plana, purpurea, quæ floſculos circumdant; floſculi albeſcentes, in quinque partes diviſi; ſtylus bicornis vaginâ incluſus.

CAPUT SEXTUM.

Linoſyris.

LInoſyris Nuperorum. Lob. Linaria Aurea. Trag. plurima habet capitula in modum umbellæ; Calix ſquamatus, folioſus; floſculi lutei, profundè in quinque partes diviſi, cum ſtylo longo, vaginæ coloris lutei obſcurioris incluſo.

CAPUT SEPTIMUM.

Elichryſum.

ELichryſum, ſivè Stæchas citrina anguſtifolia. B. Pin. flores habet densè glomeratos; Calices ſquamatos,

ſquamis aureo colore fulgentibus ; floſculi ſunt lutei , in quinque partes diviſi , cum ſtylis , quos propter parvitatem , vix videre licet.

Elichryſum Sylveſtre latifolium, capitulis conglobatis. B. Pin. Calicis ſquamæ argenteæ ſunt; floſculi lutei, quorum diviſuras & ſtylos obſervare non licuit.

Elichryſum Montanum , ſivè Pes Cati. H. R. Monſp. Calix ſquamoſus ; floſculi albi cum ſtylis longis.

Elichryſum ſpicatum. El. Bot. Gnafalium rectum. I. B. Calices virides, ſquamati , ſecundum caulem ſpicatim diſpoſiti ; floſculi albo-lutei , in quinque partes diviſi , cum ſtylis & vaginis.

CAPUT OCTAVUM.

Gnafalium.

GNafalium vulgare tenuifolium. I. B. Calices juxta caulem ſquamoſi, ex albo-virides ; aliquot floſculi albi , in quinque partes diviſi , cum ſtylo & vaginâ.

Plantæ flore compoſito floſculoſo , capitulis minoribus, ſemine ſolido.

Quæ capitula habent ſecundum Caulem.

CAPUT PRIMUM.

Abſinthium.

ABſinthium Ponticum , ſeu Romanum officinarum. B. Pin. Calix folia habet longiuſcula , veluti ſquamatus ; floſculi lutei, in quinque partes diviſi; ſtylis luteis, bifidis , vaginis incluſis.

Abſinthium tenuifolium Auſtriacum. B. Pin. **Calix** parvus ſquamatus; floſculi lutei, eodem modo ac in præcedenti; flores in utroque propendent.

CAPUT SECUNDUM.

Abrotanum.

ABrotanum Mas anguſtifolium majus. B. Pin. Calices & floſculi eodem modo ſe habent ac in Abſinthio: diſtinguntur præcipuè habitu plantæ & odore.

Abrotanum Campeſtre. B. Pin. capitula recta ſunt, cum in aliis propendeant, ideo fortè melius Artemiſia Campeſtris dici deberet.

CAPUT TERTIUM.

Artemiſia.

ARtemiſia vulgaris major. B. Pin. flores plures ſimul juxta caulem ut in Abſinthio & Abrotano; Calix cum ſquamis viridibus aliquando purpuraſcentes, inter quos ſunt foliola albida quæ rubiginoſa ſunt, & non propendent ut in Abſinthio & Abrotano.

Plantæ quæ capitula habent ſeparata.

CAPUT PRIMUM.

Santolina.

SAntolina altera. Dod. Abrotanum fœmina foliis teretibus. B. Pin. Calix ſquamoſus, plurimos continet floſculos luteo-pallidos, in quinque partes diviſos,

cum ſtaminibus, apicibus, vaginâ& ſtylo bicorni.

Santolina, ſivè Abrotanum fœmina Ericæ foliis. B. Pin. eodem modo.

CAPUT SECUNDUM.

Bellis Spinoſa.

BEllis Spinoſa. Proſp. Alpin. Spinoſa foliis Agerati. B. Pin. nullum fert florem radiatum, quamvis ſæpiùs ſemina terræ mandaverimus quæ pulchrè adoleverunt: ideò rectè à Leucanthemis ſeparatur; Calix craſſus, ſquamoſus; floſculi aurei, in quinque partes diviſi, cum vaginâ ejuſdem longitudinis.

CAPUT TERTIUM.

Cottonaria.

COttonaria vulgò. Lob. Gnafalium Marinum. Cluſ. caput ſquamoſum, album; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, cætera ut in aliis.

CAPUT QUARTUM.

Bidens.

BIdens foliis tripartitò diviſis. Cæſalp. Cannabina Aquatica folio tripartitò diviſo. B. Pin. plurima ſunt foliola circa florem, alia longa quæ florem cingunt; floſculi lutei, dentati, & diviſi, cum ſtylis bifidis, aliquando adſunt ſemifloſculi.

Bidens Americana Apii folio. Inſt. R. Herb. folia Calicis floſculis longiora ſunt; cætera eodem modo.

Plantæ flore floſculoſo, quæ capitula habent umbellæ ferè modo diſpoſita.

CAPUT PRIMUM.

Tanacetum.

TAnacetum vulgare luteum. B.Pin. Calix viridis, ſquamoſus; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, cum ſtylo bifido.

CAPUT SECUNDUM.

Ageratum.

AGeratum foliis ſerratis. B. Pin. Calices & floſculi eodem modo ſe habent ac Tanacetum; in locis humidis copiosè provenit, ſed nuſquam cum ſemifloſculis vidimus, ideò a Ptarmicâ ſeparandum. Sub Agerato aliàs in noſtro Horto Regio poſuimus ut.

Ageratum latifolium ſerratum. Menta Corimbera, ſive Coſtus Hortenſis I. B.

Ageratum Annuum foliis fæniculaceis. Heliochryſum quorumdam foliis Abrotani. I. B.

Ageratum Annuum inodorum Coronopifolium. H.R. Monſp. quarum plantarum capita eodem ferè modo ſe habent.

SECTIONIS DECIMÆ PARS. IV^a^.

Plantæ flore compoſito, quarum radii ſunt petala, cum ſemine papposo aut ſolido.

CAPUT PRIMUM.

Carlina.

CArlina acaulos magno flore. B. Pin. caput orbiculatum, foliis ſpinoſiſſimis undiquè obſitum; petala

quæ floſculos ambiunt plana ſine ſeminibus, quaſi argentea; floſculi purpurei, diviſi; ſemen tomento involutum.

Carlina Annua purpurea Monſpelienſis, ſivè Carlina. Richer. H. R. Monſp. Calicis ſquamæ ſpinoſæ, purpureæ; pro ſemifloſculis folia habet plana, anguſta, purpurea quæ diſcum ambiunt; floſculi purpurei, in quinque partes diviſi, cum ſtylo vaginâ incluſo; ſemen tomento involutum.

Carlina Sylveſtris. I. B. Calicis folia ſunt ſpinoſa; petala diſcum ambientia plana, lutea; floſculi lutei, in quinque partes diviſi, cum plurimis foliolis permixtis; ſtylis luteis vaginæ incluſis; ſemen etiam pappoſum.

CAPUT SECUNDUM.

Xeranthemum.

Xeranthemum Incanum, flore albo. H. R. Monſp. Jacea Incana, Cyani capitulis. B. Pin. ſquamæ Calicis ſunt argenteæ; petala quæ diſcum ambiunt alba, plana, rigida; floſculi albi in quinque partes diviſi, cum foliis albis intermediis; ſtylo vaginâ incluſo.

Xeranthemum flore ſimplici purpureo majore. H. L. Bat. Jacea Oleæ folio, capitulis ſimplicibus. B. Pin. Calix ſquamoſus; petala & floſculi purpurei, in cæteris eodem modo.

SECTIONIS DECIMÆ PARS. V[a].

De plantis flore compoſito impropriè dictis, quarum unus quiſque flos Calicem proprium habet.

Floribus monopetalis regularibus.

CAPUT PRIMUM.

Echinopus.

ECHinopus major. I. B. caput habet rotundum e plurimis Calicibus conſtans; in parte inferiore capitis plurima ſunt folia viridia, ſquamatim quaſi diſpoſita; Calices in quinque partes pungentes diviſi; flos in quolibet Calice albus, in quinque partes profundè diviſus, cum ſtaminibus, apicibus, ſtylo bifido, &c.

CAPUT SECUNDUM.

Valerianella.

VAlerianella ſemine ſtellato B. Pin. Calicem habet foliorum villoſorum, ut Scabioſa, intra quem plurimi ſunt alii Calices in quinque partes ſtellæ modo diviſi, quorum unuſquiſque florem habet tubuloſum, albo-purpuraſcentem, in quinque partes æquales diviſum, cum quibuſdam ſtaminulis, & apicibus: malè a Botanicis inter Valerianas repoſita.

Valerianella Campeſtris, inodora major. B. Pin. Phu. minus alterum. Lob. Lugd. ſub capite plura ſunt folia viridia pro Calice externo, plurimi alii Calices in quin-

que

que partes diviſi, in quibus flores continentur albi, monopetali, in quinque etiam partes diviſi, cum ſtaminibus & apicibus.

Valerianella foliis tenuiſſimè diviſis. B. Pin. Phu minimum. Lob. Calices eodem modo; flos albo-purpureus.

Valerianella Cretica fructu veſicario. Coroll. Inſt. R. Herb. flores aliarum more; ſemen habet veſicâ veluti membranâ propriâ incluſum.

CAPUT TERTIUM.

Dipſacus.

DIpſacus ſativus. I. B. caput habet longum, piramidale, quod plurimis radiis ſpinoſis veluti Calice quodam ad baſim cingitur; inter foliola unciatis hamulis rigidis, deorſum ſpectantibus minacia emicant floſculi tubuloſi, ex albo-purpuraſcentes, in quinque partes diviſi, cum quinque ſtaminibus longis, & apicibus, ſtylo brevi, quibus ſuccedit ſemen longum ſtriatum.

Floribus monopetalis irregularibus.

CAPUT PRIMUM.

Scabioſa.

SCabioſa Arborea. Proſp. Alpin. Calix ex plurimis foliolis viridibus veluti ſquamatus; quilibet flos proprium habet Calicem; floſculi exteriores in quatuor aut quinque partes irregulares dividuntur, quarum ſuperior longior eſt; petala media regularia ſunt, in quatuor aut quinque partes ſimiliter diviſa, cum quatuor aut quinque ſtaminibus longis, & apicibus, ſtylo brevi; flos cæruleus eſt.

Scabioſa minor vulgaris. I. B.

Scabioſa rubra peregrina, capitulo oblongo. B. Pin.

Scabioſa capitulo globoſo, foliis in tenuiſſimas lacinias diviſis. B. Pin. eodem modo ſe habent.

Scabioſa foliis Cardiacæ. Hort. Cathol.

Scabioſa folio integro. Cæſalp. Succiſa glabra. B. Pin. eodem etiam modo.

Scabioſa Alpina, foliis Centaurii majoris. B. Pin. petala exteriora in quinque ſex aut ſeptem partes inæquales dividuntur, interiora in quatuor æquales, albo-lutea, cum ſtaminibus & apicibus.

Scabioſa capitulis Pſyllii. Hort. Cathol. Calices parvi ſquamoſi; petala in quatuor partes diviſa.

CAPUT SECUNDUM.

Globularia.

GLobularia Bellidi ſimilis. I. B. ſub Globulo varios habet pro Calice foliorum viridium ordines; quilibet flos proprium habet Calicem in quinque partes diviſum, cum pilis; flos cæruleus eſt in quinque partes contortas, inæquales diviſus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo clavato.

Plantæ flore compoſito impropriè dicto, floribus poliperalis regularibus.

CAPUT PRIMUM.

Eringium.

ERingium vulgare. B. Pin. hic potiùs retulimus Eringum quam ad plantas umbelliferas, cum quibus ne

minimam habet ſimilitudinem, niſi quod florem habet pentapetalon, ſed diverſo modo diſpoſitum. Sub capite quinque habet folia radiorum more diſpoſita, ſpinoſa, quæ Calicis vicem gerunt; Calix cujuſque floris in quinque partes ſpinoſas diviſus, cui aliud folium ſpinoſum ſuppoſitum eſt; flos eſt pentapetalos albus, bifidus, cum ſtaminibus & apicibus cæruleis

Eringium latifolium planum. B. Pin. eodem modo.

CAPUT SECUNDUM.

Statice.

STatice Montana minor. El. Bot. Cariophillus Montanus minor. B. Pin. melius hìc reponi poſſe putavimus quàm inter Cariophillos. Calix externus quinque habet folia longa, viridia, acuta; adeſt alter Calix deorſum ad pediculum reflexus, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, purpuraſcens; ſtamina alba, brevia; ſtylus in ſummitate habet veluti floſculos.

LIBRI PRIMI
PARS SECUNDA.

IN primâ hujuſce Libri parte deſcripſimus flores plantarum quæ Calicem externum habent, & a quo involvuntur; in hac verò ſecundâ parte erunt plantæ, quarum pediculus, qui juxta florem ampliatur, vicem Calicis gerit, & quamvis inter eas quædam ſint quæ alium Calicem in flore, aut ſemine habent, ut Oenanthe, Coriandrum, Cachrys, & aliæ propter magnam quam habent cum aliis ſimilitudinem, a conſimilibus ſeparandas eſſe non putavimus.

Juxta hanc autem methodum, nullæ erunt plantæ quæ Calicem externum aut internum non habeant.

Diximus quomodo plantæ quarum pediculus vicem gerit Calicis, diſtingui debeant a plantis cum Calice externo & interno: quia primæ ſemen habent nudum, quæ autem ſunt cum Calice interno, vel baccas habent, vel capſulas, vel ſiliquas, quæ partes pediculi in utriſque cenſeri debent, & unum ſolum Calicem efficere.

Pars iſta duas habebit ſectiones; prima erit earum quæ florem habent monopetalon, ſecunda vero earum quæ ſunt flore polypetalo.

SECTIO PRIMA.

De plantis, quarum pediculus ut plurimum vicem gerit Calicis, flore monopetalo.

CAPUT PRIMUM.

Valeriana.

VAleriana major radice odoratâ. I. B. Calix Valerianæ eſt pediculus ampliatus; flores quaſi in umbellâ, albi, monopetali, in quinque partes æquales diviſi; tria ſtamina ſunt, cum apicibus, ſtylo in tres partes diviſo; ſemen longum, pappoſum.

Valeriana Alpina prima. Cluſ. &c.

Valeriana maxima Pyrenaïca, Cacaliæ folio. D. Fagon. Schol. Bot. Pariſ. flores habent ex albo-purpureas, in cæteris idem.

Valeriana rubra. B. Pin. flos monopetalos, in quinque partes inæquales diviſus, ſuperior, & duæ laterales longiores, duæ inferiores breviores, cum brevi Calcari; duo ſtamina & apices.

CAPUT SECUNDUM.

Pimpinella.

PImpinella Sanguiſorba minor. B. Pin. capitula habet glomerata e pluribus floribus compoſita; flores duplicis ſunt differentiæ, flores inferiores capituli, in quatuor partes diviſi ſunt cum quatuor brevibus ſtaminibus albis, & api-

cibus luteis, flores ſuperiores capituli ſtylum habent ſupra ſemen plurimis foliolis in quibuſdam rubris, in aliis albis coronatum; ſemen rugoſum, quadrangulum, quod verè ſemen nudum dici debet: quamvis enim in aquâ per viginti quatuor horas maceratum fuerit nuſquam potuit ſemen a cortice ſeparari, imò nec dum videntur eſſe duo ſemina.

Pimpinella Sanguiſorba major. B. Pin. flores habet in ſpicis monopetalos, in quatuor partes diviſos, rubros, quod nos perſuaſit eſſe potius flores quam Calices, in cæteris eodem modo.

CAPUT TERTIUM.

Sanamunda.

SAnamunda foliis candicantibus, Serici inſtar mollibus. B Pin. Tartonraire Gallo-provinciæ Maſſilienſium. Lob. Ic. flos tubulus eſt in quatuor partes diviſus, luteo-virens; ſtamina tubulo adhærent, cum apicibus luteis. Cur Thymelææ juncta fuerit non videmus.

Sanamunda glabra, vel viridis. B. Prodr. flos viridis in quatuor partes diviſus, cum ſtaminibus & apicibus.

Sanamunda Annua, Linariæ folio. Lithoſpermum Linariæ folio, germanicum. B. Pin. flos eſt tubuloſus, parum in quatuor partes diviſus, cum quatuor ſtaminibus, & apicibus luteis.

CAPUT QUARTUM.

Cynocrambe.

CYnocrambe Diſcoridis. B. Pin Alſines facie planta nova. Col. inter folia oriuntur flores juxta caulicu-

lum ; flos parvus eſt tubulus, viridis, lucidus, in duas ut plurimum, aliquando tres, imò & quatuor partes albidas diviſus, apicibus extrorsùm reflexis & plicatis ; in medio plura ſtamina viridia aparent ; ſemina parva rotunda.

CAPUT QUINTUM.

Fagopyrum.

PRobare non poſſumus ſententiam. D. Raii. & Tournefort. qui flores Fagopiri & ſequentium Calices eſſe volunt, quià non decidunt, ſed ſemini adhærent: quæ ratio nulla nobis videtur, cum illud plurimis aliis contingat, quos tamen inter flores recipiunt ; habent enim conditiones à Raio requiſitas, colorem ſcilicet, & tenuitatem ; nam quod flos debeat eſſe fugax, illud falſum eſſe in plurimis deprehenditur, ut in Xeranthemo, Amarantho, Granadillâ & aliis, præstereà pulchritudo florum Fagopiri, Biſtortæ, Perſicariæ Nicotianæ folio, oculos noſtros convincit veros eſſe flores.

Fagopirum vulgare erectum. Inſt. R. Herb. Fagopyrum. Dod. flores albi profundè in quinque partes diviſi; plura ſunt ſtamina alba cum apicibus rubentibus ; ſemen triangulare, nigreſcens quod à flore involvitur.

Fagopyrum ſcandens vulgare. Inſt. R. Herb. Calicem habet parvum, in tres partes diviſum ; flos albus qui vix diſcerni poteſt ; ſemen triangulare : fortè meliùs ſub novo nomine ad partem primam hujuſce libri reduceretur.

CAPUT SEXTUM.

Biſtorta.

BIſtorta major, radice minus intortâ. B. Pin. flores ſunt ſpicati, albo-roſeï, profundè in quinque partes diviſi; ſunt quinque ſtamina & apices albi; ſemen ut plurimum triangulare.

CAPUT SEPTIMUM.

Perſicaria.

PErſicaria Orientalis, Nicotianæ folio. Coroll. Inſt. R. Herb. flos monopetalos, in quinque partes diviſus, pulchrè rubens, qui floris nomen meretur, intùs autem albus eſt; ſtamina & apices albi.

Perſicaria mitis, non maculoſa. B. Pin. flos minor, & minus rubet.

Perſicaria minor, floribus albis. B. Pin. flores minores albi, ſpica laxa.

CAPUT OCTAVUM.

Poligonum.

POlygonum latifolium. B. Pin. flos albus, in quinque partes diviſus, cum lineâ viridi in dorſo; in quâlibet diviſurâ, decem ſunt ſtamina alba, cum apicibus luteis; ſemen triangulare, flore obvolutum.

Polygonum Maritimum latifolium. B.Pin. eodem modo.

CAPUT NONUM.

Acetoſa.

ACetoſa rotundifolia hortenſis. B. Pin. florem habet viridem, in ſex partes diviſum, tres exteriores, to-

tidem

tidem interiores albas, quæ ſemen involvunt; illæ diviſuræ plumoſæ ſunt.

Acetoſa Arvenſis lanceolata. B. Pin. eodem modo.

Acetoſa Maritima, foliis ſinuatis & dentatis. Bot.Monſp. florem habet viridem, in ſex partes diviſum, tres internæ album; decem aut duodecim ſtamina, cum apicibus purpurantibus; ſtylus in tres partes diviſus.

CAPUT DECIMUM.

Lapathum.

LApathum hortenſe, folio oblongo, ſive ſecundum Dioſcoridis. B. Pin. flores virides, copioſi, ſpicatim diſpoſiti; flos in ſex partes profundè diviſus, tres exteriores anguſtæ, tres quæ ſemen triangulare involvunt, eique firmiter adhærent; ſex ſtamina viridia, brevia, cum apicibus rectis albis.

Lapathum vulgare folio obtuſo. I. B. flores in caule verticillatim diſpoſiti, virides, in ſex partes dentatas diviſi, tres exteriores breves, tres quæ ſemen involvunt.

CAPUT UNDECIMUM.

Rhaponticum.

RHaponticum.Proſp.Alpin. Rha verum. Dioſc.Gerard. flores albi racematim diſpoſiti, e longo, & tenui pediculo albo, monopetali in quinque aut in ſex partes diviſi, cum quinque aut ſex ſtaminibus, & apicibus albis; in medio oritur ſemen triangulare, altero flore albo, in quaſdam partes diviſo involutum, ut in Lapathis, Acetosâ, & aliis a quibus non debet ſeparari.

De plantis foliis radiatis, flore monopetalo, quarum pediculus vicem gerit ſeminis ſemine bino.

CAPUT PRIMUM.

Cruciata.

CRuciata hirſuta. B. Pin. pediculos emittit inter quatuor folia decuſſatim diſpoſita ſecundum caulem, qui in alios dividuntur, in quibus ſunt flores monopetali, lutei, in quatuor partes diviſi, cum ſtaminibus, & apicibus purpureis, & ſtylo, cum gemello ſemine.

Cruciata glabra. B. Pin. eodem modo.

Cruciata minima muralis. Col. Rubeola echinata ſaxatilis. B. Pin. flores caulem ambiunt monopetali, albolutei, irregulariter plumæ in modum diviſi, pars ſuperior major & durior eſt; apparent quidam apices lutei.

CAPUT SECUNDUM.

Aparine.

APparine vulgaris. B. Pin. flores inter folia radiatim diſpoſita ſecundum caulem, ſupra pediculum plures ſimul; flos albus monopetalos, in quatuor partes diviſus, ſupra duo ſemina rotunda, hiſpida.

CAPUT TERTIUM.

Gallium.

GAllium album latifolium, vel Mollugo Montana anguſtifolia. B. Pin. flores veluti ſpicatim diſpo-

ſiti, albi : flos monopetalos, in quatuor partes ut plurimum diviſus ; quatuor ſtamina alba ; apicibusluteis ; ſtylo bifido.

Gallium Saxatile, glauco folio. Bocon. eodem modo.

Gallium Montanum latifolium ramoſum. Inſt. R.Herb. Mollugo. Cluſ. flores per ſurculos & ramulos copioſi, albi, monopetali, in quinque partes ſæpius diviſi, cum totidem ſtaminibus albis, & apicibus luteis.

CAPUT QUARTUM.

Aſperula.

ASperula cærulea Arvenſis. B. Pin. Rubia cærulea erectior, elatiorve. I.B. flores in extremis ramulis plures ſimul juncti, monopetali, tubuloſi, in quatuor partes cæruleas diviſi, plurimis foliolis radiatim diſpoſitis, villoſis circumdati, qui floribus elapſis plura ſemina binatim juncta, rotunda, glabra occultant.

Aſperula hexaphyllos purpurea. B. Pin. Rubia parva, flore cæruleo ſe ſpargens. I. B. rectè dicit in deſcriptione eſſe flore purpureo ; flores albidè-purpurei, monopetali, tubuloſi, in quatuor partes diviſi.

CAPUT QUINTUM.

Cynanchica.

CYnanchica vulgo, Rubia Cynanchica. I.B. flores quoſdam in ſummitate caulium producit, albo-roſeos, leviter in quatuor partes diviſos, cum duobus ſtaminibus albis ; duo foliola viridia bina ſemina ambiunt.

Rubeola.

RUbeola Maritima. Inſt. R. Herb. Rubia Marina Narbonenſium. I. B. flos e viridi luteſcens, parum in quatuor aut quinque partes diviſus, cum ſtamiminibus & apicibus luteis, quia tubulus parum aliis longior eſt ſeparat D. Tournefort. & inter flores infundibuli-formes reponit inter Jalapam & Trachelium, an rectè judicent Botanici.

SECTIO SECUNDA.

De Plantis flore polypetalo, umbellato, quarum Calix, ut plurimum eſt pediculus.

UMbelliferæ appellantur plantæ in quibus, ut ait, Cæſalp. extremi ſurculi in multos ex eodem Callo veluti radios finduntur, quibus floſculi numeroſi inſident rotundam ſuperficiem conſtituentes ſpecie umbraculi; & I. B. umbellam dicimus in plantis florum ſeminiſvè pediculum, in plures diviſum longiores pediculos, qui ſimul ex eodem pediculo orti, in latius continuò radiantur, ſinguliquè florem, vel ſemen ſuſtinent; & Raius quamvis duo tribuat umbellæ ſemina in ſuâ methodo auctâ, & emendatâ, rectè deſcribit umbellam: umbellæ dicuntur, quia in umbellæ quâ mulieres ſolis radios arcent formam diſpoſitæ ſunt, ſummi enim ramuli in plures ab eodem puncto ortos ramulos dividun-

tur, ſinguli deindè radii in plures pediculos qui umbellam efformant, hæc eſt ſimplex umbellæ definitio: non quod neceſſariò ſub quolibet flore debeant eſſe duo ſemina, quod volunt novi Botanici, Crithmum enim Maritimum ſpinoſum. B. Pin. eſt vera umbella, quamvis ſit ſemine ſingulari, multò minus debent umbellarum flores dici flores roſacei, flores enim roſacei regulares ſunt, plerique autem umbellarum ſunt irregulares.

Præcipuas umbelliferarum plantarum differentias a ſemine deſumemus cum Moriſſ. quamvis foliorum diſpoſitio multùm conferat ad eas faciliùs diſtinguendas.

Sectio iſta quatuor habebit partes, juxta ſeminum figuram: Prima erit de umbelliferis ſemine ſtriato: Secunda ſemine lato: Tertia ſemine ehinato: Quarta ſemine longo: addemusquintam de plantis ad umbellas accedentibus: & ſextam de plantis polypetalis &polyſpermis.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS Ia.

Plantæ umbelliferæ foliis Fœniculaceis, ſemine ſtriato majore.

CAPUT PRIMUM.

Cachrys.

CAchrys ſemine fungoſo lævi, foliis ferulaceis. Moriſſ. flos luteus aliquando habet octo petala parva, cochleari-formia; ſtamina & apices luteos, cum duplici ſtylo brevi; folia habet viridia, umbellæ ſupoſita; ſemen habet ſtriatum, longum, fungosâ materiâ involutum, quæ Calix dici debet ab abundanti pediculi ſucco pro ſeminis tutelâ communicato.

CAPUT SECUNDUM.

Fœniculum.

FOeniculum dulce. B. Pin. flos pentapetalos, luteus, petalis retuſis; quinque ſtamina, apices lutei & duplex ſtylus; nulla habet folia umbellis ſuppoſita, ſub ſemine placenta conſpicitur quæ Calix eſt.

CAPUT TERTIUM.

Cuminum.

CUminum, ſive Cyminum ſativum. I. B. flos pentapetalos, albus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; ſemen habet longum, ſtriatum, & folia umbellis ſuppoſita.

CAPUT QUARTUM.

Meum.

MEum foliis Anethi. B. Pin. flos pentapetalos, albus cum ſtriâ in medio; quinque ſtamina, & apices, & duplex ſtylus; ſemen, longum, ſtriatum; quædam habet folia ſub umbellis.

CAPUT QUINTUM.

Carvi.

CArum, ſivè Carvi. Moriſſ. flos pentapetalos, albus; petali bifidi & æquales, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylis; ſunt folia viridia ſub umbellis.

CAPUT SEXTUM.

Seſeli.

SEſeli Maſſilienſe, Fœniculi folio. B. Pin. flores antequam aperiantur exteriùs rubentes, aperti, albi, pen-

tapetali, æquales, bifidi, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

Seſeli glauco folio. H. R. Monſp. Daucus glauco folio, ſimilis Fœniculo tortuoſo. I. B. quinque etiam habet petala ejuſdem coloris; ſtamina, apices & ſtylos; folia ſunt ſub umbellis.

Seſeli genuinum Maſſilienſe, fortè Meum Italicum, Lob. Pon. I. B. latifolium adulterinum. B. Pin. flores, pariter pentapetalos, albos, bifidos, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylis; folia habet quædam umbellis ſuppoſita.

Umbelliferæ foliis Fœniculi, ſemine ſtriato minore.

CAPUT PRIMUM.

Ammi.

AMmi parvum, foliis Fœniculi. B. Pin. flores pentapetali, albi, diviſi; ſemen parvum, ſtriatum; folia habet ſub umbellis.

Ammi puſillum. Cæſalp. eodem modo.

CAPUT SECUNDUM.

Viſnaga.

VIſnaga. I. B. flores albi, pentapetali, parum irregulares, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT TERTIUM.

Selinum.

SElinum Montanum pumilum. Cluſ. flores pentapetali, albi, regulares, cum ſtaminibus, apicibus, & ſtylis; nulla habet folia ſub umbellis.

Plantæ umbelliferæ, foliis ad Cicutam accedentibus, ſemine ſtriato majore.

CAPUT PRIMUM.

Cicutaria.

CIcutaria latifolia fœtida. B. Pin. flores albo-luteſcentes, pentapetali; quinque ſtamina, cum apicibus & ſtylis; folia ſunt ſub umbellis.

CAPUT SECUNDUM.

Silaum.

SIlaum quibuſdam, flore luteo. I. B. vulgò Seſeli Pratenſe; flores ſunt albo-lutei, pentapetali; petala longa, ſinuata, æqualia; ſemina longa, ſtriata; folia habet umbellis ſuppoſita.

CAPUT TERTIUM.

Oenanthe.

OEnanthe Apii folio. B. Pin. flores albi, pentapetali, irregulares, cordati, cum quinque ſtaminibus albis, apicibus luteis, & ſtylis albis; quilibet flos Calicem habet qui ſemen involvit; in quinque partes inæquales diviſum.

Oenanthe Cicutæ folio, ſucco viroſo croceo. Lob. I. B. eodem modo.

Semine ſtriato minore.

CAPUT PRIMUM.

Cicuta.

CIcuta major. B. Pin. flores albi, pentapetali, inæquales, bifidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia ſunt ſub umbellis.

Cicuta minor Petroſelino ſimilis. B. Pin. eodem modo.

CAPUT SECUNDUM.

Apium & Petroſelinum.

APium hortenſe, ſeu Petroſelinum vulgò. B. Pin. flos albus minimus, pentapetalos, petalis bifidis, ferè rotundis, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis albis; folia habet umbellis ſuppoſita.

Petroſelinum Montanum album. I B. flos pentapetalos, albus, petalis bifidis, quorum unum longius eſt; ſtamina, apices & ſtyli; folia ſunt umbellis ſuppoſita.

Apium paluſtre, & Apium officinarum. B. Pin. flores pentapetali, albi, parvi, rotundi, qui videntur bifidi, æquales, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; nulla habet folia umbellis ſuppoſita.

CAPUT TERTIUM.

Bulbo-Caſtanum.

BUlbo-Caſtanum majus, Apii folio. B. Pin. flores pentapetali, albi, æquales, bifidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis albis; habet folia ſub umbellis.

CAPUT QUARTUM.

Aniſum.

ANiſum veteribus. I B. flores pentapetali, albi, æquales, biſidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet umbellis ſuppoſita.

Ab Apio rectè ſeparavimus, tum quià parvam habet cum Apio ſimilitudinem, tum quià inutilis eſt illa nominum antiquorum mutatio, quæ confuſionem parit.

CAPUT QUINTUM.

Daucus.

DAucus officinarum, ſive Paſtinaca Sylveſtris. B. Pin. flores pentapetali, albi, inæquales, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; ſemen parvum, ſtriatum, villoſum; folia ſub umbellis radiatim diſpoſita, trilobata.

Plantæ umbelliferæ, foliis pinnatis, ſeu in alas diviſis, ſemine ſtriato majore.

CAPUT PRIMUM.

Leviſticum.

LEviſticum vulgare. Dod. flos pentapetalos, alboluteus, petalis æqualibus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT SECUNDUM.

Podagraria.

POdagraria. Adv. Angelica Sylveſtris minor, ſivè erratica. B. Pin. flores pentapetali, albi, æquales,

biſidi, cum longis ſtaminibus albis & apicibus roſeis; nulla habet folia umbellis ſuppoſita.

CAPUT TERTIUM.

Libanotis.

LIbanotis latifolia, Aquilegiæ folio. B. Pin. flores pentapetali, albi, in extremo latiores, æquales, & biſidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT QUARTUM.

Siler.

SIler Montanum. Dod. ſlos pentapetalos, albus, regularis, petalis biſidis, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT QUINTUM.

Ammioſelinum.

AMmioſelinum. Tab. B. Pin. Ammi commune, ſivè vulgare. Dod. cum multùm ab Ammi tenuifolio aromatico differat ideò ſeparavimus, ne iſto utantur Pharmacopæi; flores pentapetali, albi, æquales, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT SEXTUM.

Falcaria.

FAlcaria, vel Chrithmus terreſtris. Tab. I. B. Ammi perenne. Moriſſ. jure iſtam plantam ab Ammi ſe-

paravimus: flores pentapetali, albi, profundè in medio diviſi; quinque ſtamina alba, cum ſtaminibus luteis & ſtylis albis; ſemen longum, ſtriatum; folia ſub umbellis.

Semine ſtriato minore.

CAPUT PRIMUM.

Saxifragia.

SAxifragia Hircina minima, Pimpinella criſpa. Trag. I. B. flores pentapetali, albi, bifidi, æquales, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; nulla habet folia umbellis ſuppoſita.

Saxifragia major Africana. H. R. Monſp. flores lutei, pentapetali, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; nulla habet folia umbellis ſuppoſita.

CAPUT SECUNDUM.

Siſarum.

SIſarum Germanorum. B. Pin. flores pentapetali, albi, parum bifidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet ſub umbellis.

CAPUT TERTIUM.

Siſon.

SIſon, ſivè Amomum officinarum. I. B. flores pentapetali, albi, bifidi, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis.

CAPUT QUARTUM.

Sium.

SIum ſivè Apium paluſtre, foliis oblongis. B. Pin. vulgò Berula ; flores pentapetali , albi , parum bifidi , æquales , cum ſtaminibus apicibus & ſtylis ; folia habet ſub umbellis.

Plantæ umbelliferæ, quarum folia integra ſunt ſemine ſtriato.

Buplevrum.

BUplevrum vulgatiſſimum. B. Pin. flores pentapetali, minimi , lutei , ferè rotundi , æquales , cum ſtaminibus , apicibus & ſtylis luteis ; folia habet ſub umbellis.

Buplevrum Alpinum , anguſtifolium medium. Inſt. R. Herb. eodem modo ſe habet , ut & ſequentia.

Buplevrum perfoliatum , rotundifolium Annuum. Inſt. R. Herb. Perfoliata rotundifolia vulgatiſſima. B. Pin.

Buplevrum arboreſcens, Salicis folio. Inſt. R. Herb. Seſeli Æthiopicum , Salicis folio. B. Pin. quod ad frutices umbelliferos poſſet reduci.

Plantæ umbelliferæ, ſeminibus rotundis ſtriatis.

CAPUT PRIMUM.

Coriandrum.

COriandrum majus. B. Pin. flores pentapetali, albi, irregulares , petalum ſuperius longum , bifidum ;

duo lateralia breviora, duo infima breviſſima; ſemina ambiunt parvi calices virides, cum quinque acuminibus etiam irregularibus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; folia habet viridia ſub umbellis.

CAPUT SECUNDUM.

Smirnium.

SMirnium. Matth. flos pentapetalos, albo vireſcens, parvus, bifidus, æqualis, apices ejuſdem cum flore coloris; nulla habet folia ſub umbellis.

Smirnium peregrinum, folio rotundo. B. Pin. Smirnium Creticum perfoliatum. I. B. flos pentapetalos, luteus; ſtamina longa, & apices lutei; nulla habet folia ſub umbellâ.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS. II.

De plantis umbelliferis, foliis ferulaceis, ſemine plano lato.

CAPUT PRIMUM.

Ferula.

FErula fœmina. Plin. B. Pin. flores habet parvos, rotundos, luteos, bifidos, pentapetalos, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylis; nulla habet folia ſub umbellis.

CAPUT SECUNDUM.

Peucedanum.

PEucedanum majus Italicum. B. Pin. flos pentapetalos, luteus, regularis; duo ſtamina, & apices lutei; quædam habet folia viridia ſub umbellis.

CAPUT TERTIUM.

Anethum.

ANethum hortenſe. B. Pin. flores pentapetali, parvi, lutei, ſicut Fœniculum; nulla ſunt folia ſub umbellis.

CAPUT QUARTUM.

Crithmum.

CRithmum, ſivè Fœniculum Maritimum minus. B. Pin. flores pentapetali, albi, parvi, æquales; ſemina parum lata, ſtriata, ideò fortè melius ad plantas foliis Fœniculi, ſemine ſtriato majore reduceretur; folia habet ſub umbellis.

Umbelliferæ foliis pinnatis, aut in alas diviſis, ſemine plano, aliquando alato.

CAPUT PRIMUM.

Angelica.

ANgelica ſativa. B. Pin. flores pentapetali, vireſcentes, parvi, acuti, æquales, cum ſtaminibus & apicibus; ſemen planum, alatum, ſtriatum, majus & lon-

gius quam ſemen Imperatoriæ, quam juſto titulo ſeparamus, non ſolum propter antiquum, & uſitatum nomen, ſed etiam quià radices, folia, flores, & ſemina multum inter ſe differunt, ut patet ex earum deſcriptionibus.

CAPUT SECUNDUM.

Imperatoria.

IMperatoria major. B. Pin. flos pentapetalos, albus; petala quaſi cochleata, bifida; ſtamina & apices ejuſdem coloris; ſemina parva, ſtriata, plana, cum alis albeſcentibus; nulla habet folia ſub umbellis.

CAPUT TERTIUM.

Paſtinaca.

PAſtinaca Sylveſtris latifolia. B. Pin. flos pentapetalos, luteus, petala parva, parum cava, æqualia, cum ſtaminibus & apicibus luteis; ſemina lata, oblonga; nulla habet folia ſub umbellis.

Paſtinaca Sylveſtris altiſſima. Inſt. R. Herb. vulgò Panas coſtinum, convenit cum Paſtinacâ Sylveſtri vulgari.

CAPUT QUARTUM.

Sphondilium.

SPhondilium vulgare hirſutum. B. Pin. flos pentapetalos, albus, petalis irregularibus, profundè bifidis, inter quæ eſt veluti caruncula; cum ſtaminibus & apicibus; folia habet viridia ſub umbellis.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Oreoſelinum.

OReoſelinum Apii folio majus. El. Bot. flos pentapetalos, albus, regularis, cum ſtaminibus & apicibus; folia habet ſub umbellis.

CAPUT SEXTUM.

Tordylium.

TOrdylium minus, Limbo granulato Syriacum. Moriſſ. flores pentapetali, albi, irregulares; duo petala ſuperiora magna, lata, tria inferiora parva, cum ſtaminibus & apicibus; ſemen ſubrotundum, planum, cum alis circum granulatis; folia ſub umbellis craſſa, in tres partes diviſa.

Tordylium minimum Apulum. Col. eodem modo.

CAPUT SEPTIMUM.

Thapſia.

THapſia Talictri folio. Bot. Monſp. flos pentapetalos, luteus, cum ſtaminibus & apicibus; folia habet ſub umbellis.

CAPUT OCTAVUM.

Laſerpitium.

LAſerpitium Gallicum. B. Pin. flos pentapetalos, albus, petalis ferè rotundis, & bifidis, parum inæqualibus, cum duobus ſtaminibus & apicibus; ſemen cum quatuor alis, quas Moriſſ. alis Molendini comparat; nulla habet folia ſub umbellis.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS. IIIa.

Plantæ umbelliferæ, quarum ſemen eſt echinatum.

CAPUT PRIMUM.

Caucalis.

CAucalis Arvenſis echinata. B. Pin. flores pentapetali, purpurei, irregulares, in calicibus incluſi; petalum ſuperius majus eſt, duo lateralia minora, infima minima; ſtamina parva, cum apicibus albis; folia habet ſub umbellis.

Caucalis Dauci ſylveſtris, folio echinato, magno fructu. Bot. Monſp. flos albus ejuſdem ſtructuræ; Calices habet qui ſemina involvunt hiſpida, in quinque partes anguſtas diviſos; folia habet ſub umbellis.

Caucalis ſemine aſpero, floſculis rubentibus. B. Pin. flores albi, ſubtùs rubentes, eodem modo diſpoſiti; ſemina magis accedunt ad Caucalidem quam ad Daucum; ſpinulæ purpuraſcentes, hamatæ ſunt & veſtibus adhærent, quod non facit ſemen Dauci. Idem dicendum de Caucalide nodosâ, echinato ſemine. B. Pin.

CAPUT SECUNDUM.

Secacul.

SEcacul quorumdam, & Crithmum ſpinoſum. I B. flos pentapetalos, albus, petalis bifidis & quaſi clauſis, cum ſtaminibus & apicibus; ſemen materiâ fungosâ involutum, cuſpidibus inordinatim diſpoſitis in ſummitate armatum, longum, craſſum, unicum: inde patet in verâ umbellâ non requiri, quod ſint duo ſe-

mina, & reverà unicum eſt, quamvis ei duo ſemina tribuat Moriſſ.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS. IVa.

Plantæ umbelliferæ, quarum ſemen eſt roſtratum.

CAPUT PRIMUM.

Scandix.

SCandix ſemine roſtrato vulgaris .B. Pin. Pecten Veneris. I B. flores pentapetali, albi, irregulares; ſemina longa, ſubtùs foliis viridibus coronata.

CAPUT SECUNDUM.

Chærophyllum.

CHærophyllum ſativum. B. Pin. flores pentapetali, albi, irregulares; ſemina longa, non ſtriata, quibus ſubſunt folia viridia.

CAPUT TERTIUM.

Myrrhis.

MYrrhis major, vel Cicutaria odorata. B. Pin. flos pentapetalos, albus, irregularis, bifidus; duo ſtamina & apices; ſemen longum, craſſum, ſtriatum; folia habet ſub umbellis.

Myrrhis Sylveſtris, ſeminibus levibus. B. Pin. flores pentapetali, albi, irregulares; ſemina longa, lævia; folia viridia ſub umbellis: quamvis ſemina non ſint ſtriata, tota facies plantæ externa nos cogit ad Myrrhidem referre.

Myrrhis perennis lutea, Daucoïdes. Moriſſ. umbellæ magnæ; flores lutei pentapetali, bifidi, cum ſtamini-

bus & apicibus; folia habet ſub umbellis viridia, anguſta, & aucta.

Myrrhis paluſtris latifolia alba. Inſt. R. Herb. Cicutaria alba. Lugd. flos pentapetalos, ſubtùs roſeus, ſupra albus, irregularis, bifidus, cum ſtaminibus albis & apicibus roſeis; folia habet ſub umbellis.

Myrrhis paluſtris latifolia rubra. Inſt. R. Herb. Cicutaria rubra. Lugd. eodem ferè modo ac alba.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS. Va.

De plantis ad umbellas accedentibus.

QUamvis Aſtrantia, Sanicula & aliæ non ſint veræ umbellæ, ut ex earum deſcriptionibus ſatis patet, cogimur tamen ob recentiorum Botanicorum ſententiam, ne nimis rigidi videamur eas hìc referre, cùm meliùs ad Sectionem nonam primæ Partis hujuſcè Libri reponi poſſent, quià Calices habent flores involventes.

CAPUT PRIMUM.

Aſtrantia.

ASTrantia nigra.Lob. Helleborus niger, Saniculæ folio major. B. Pin. ſub pediculis qui flores ſuſtinent ſunt quindecim circiter folia coronæ inſtar, prope pediculum viridia, in extremitate alba, magna, cum brevioribus alis anguſtis & acutis, inter quæ plures ſurgunt pedicelli purpuraſcentes, qui flores ſuſtinent purpuraſcentes æquales, in quinque partes ejuſdem coloris diviſos; quinque ſtamina alba & apices purpurei; unuſquiſque flos Calicem habet in quinque partes diviſum.

CAPUT SECUNDUM.

Sanicula.

SAnicula mas Fuſch. ſivè Diapenſia. I B. Calix in quinque partes acutas dividitur qui florem involvit; flos albus, pentapetalos, petalis plicatis & bifidis; quinque ſunt ſtamina alba & apices lutei, cum duobus ſtylis bifidis; flores habet in globulum quaſi congeſtos, qui umbellæ figuram non habent.

CAPUT TERTIUM.

Cuminoïdes.

CUminoïdes. Inſt. R. Herb. Cuminum Sylveſtre, capitulis globoſis. B. Pin. plurima habet foliola viridia, fimbriata ſub capitulo quod ex plurimis floſculis albo-viridibus componitur; quilibet flos quinque petala plumoſa habere videtur; Calix eſt viridis, quinque-fidus: nec nomen illi convenit, nec debet dici flos roſaceus.

SECTIONIS IIæ. VIa. ET ULT. PARS.

De plantis quarum pediculus vicem gerit Calicis, polypetalis, & polyſpermis.

CAPUT PRIMUM.

Anemone.

ANemone tenuifolia hortenſis, ſimplici flore cæruleo. Cluſ. folia habet viridia, variè diviſa, quæ in medio ferè caulis illum cingunt; flos ut plurimum eſt exapetalos; tria petala exteriora, tria interiora; plurima & breviſſima ſtamina ejuſdem penè coloris, cum apicibus ſulcatis qui totam placentam oblongam in quâ eſt ſemen papposum involvunt.

CAPUT SECUNDUM.

Pulſatilla.

PUlſatilla purpurea, cæruleavè. I B. partem deſcriptionis ex. I B. deſumptam damus; folium diviſum, paulò infra florem naſcitur (ut in Anemone;) flos ſedet unicus magnus, e ſex petalis acuminatis compoſitus, purpuraſcens, foris hirſutus, intùs glaber, medium occupat capitulum oblongo-rotundum, fibris, apicibusquè luteis cirratum; ſuccedunt ſemina caudata.

CAPUT TERTIUM.

Clematitis.

CLematitis ſylveſtris latifolia. B. Pin. flos tetrapetalos, albus, qui potius deberet dici cruciformis quam roſaceus; plura habet ſtamina & apices albos; plura etiam ſemina caudata, & plumoſa.

Clematitis cærulea erecta. B. Pin. quatuor habet petala obſcurè cærulea, ſurſum reflexa; medium floris occupat globus ſtaminum latorum, albo-luteorum, cum apicibus rectis; ſemina conglobata, caudata.

TRACTATUS PRIMI
LIBER SECUNDUS

De plantis cum ſolo Calice interno.

DIximus Calicem internum fructum eſſe, capſulam, aut ſiliquam quæ ſemina involvunt, in quibus pediculus Calix dici non poteſt, quia pars Calicis interni fructus, capſulæ, aut ſiliquæ cenſeri debet. Diſtinguitur autem Calix externus ab interno, quià in Calice externo ſemina ſunt nuda, vel ſolo Calice externo incluſa, in interno verò ſemina fructu, vel capſulâ, vel ſiliquâ incluſa, & flores vel capſulam amplectuntur, vel ſunt ſupra capſulam.

Dividemus Librum iſtum in tres Sectiones; prima erit de plantis bulboſis aut tuberoſis, quarum Calix eſt trigonus: non quod illis ſit eſſentiale, & ſemper debeat eſſe Calix trigonus, nam ſi inveniretur planta bulboſa, in cæteris bulboſis ſimilis & Calicem haberet rotundum, quod ſæpius Raio obiicit Tournefort. inter bulboſas meritò reponeretur.

Secunda Sectio erit de bulboſis affinibus.

Tertia de plantis fructu molli aut ſicco, & de aliis plantis quæ ſolum habent Calicem internum.

In unâquâque Sectione ſeparabimus plantas monopetalas a polypetalis, flore regulari ab irregulari, quarum flores Calicem involvunt, ab iis quarum flos eſt ſupra Calicem.

SECTIO PRIMA.

De plantis bulboſis aut tuberoſis, flore monopetalo Calicem involvente.

CAPUT PRIMUM.

Hyacinthus.

HYacinthus Orientalis albus. B. Pin. flores albi, ſpicati; quilibet flos tubulus eſt ſupra pediculum in ſex partes nonnihil reflexas diductus; ſex apices intùs tubulo adnati; Calix in fundo tubuli craſſioris trigonus.

Hyacinthus obſoleto flore. B. Pin. flos tubulus eſt longus, ex pallido-vireſcente & purpureo-mixtus, profundè in ſex partes diviſus, cum lineâ viridi externâ in qualibet diviſurâ; tres diviſuræ exteriores reflexæ, tres interiores quæ duos triangulos efficiunt; ſex ſtamina & apices albi; Calice ſivè capſulâ trigonâ in medio, cum ſtylo craſſo, albo.

CAPUT SECUNDUM.

Hyacenthus racemoſus.

HYacinthus maximus botryoides, comâ cæruleâ. I B. flores racematim diſpoſiti, ex viridi-violacei, tubulati, in ſex ſegmenta tantillum hiantia diviſi; inferiores breves habent pediculos, ſuperiores longiores;

ſex

ſex apices tubulo adnati; capſula in medio cum ſtylo; faſtigium thyrſi occupat comoſa juba purpuro-cærulea cum longioribus pediculis.

Hyacinthus racemoſus, cæruleus minor juncifolius. B. Pin. flores habet in denſâ ſpicâ tubulatos, cæruleos ſupra parvum pediculum; anguſtò ore albicante, in ſex partes leviter diviſo; intùs ſtylus albus ſupra capſulam.

Hyacinthus Sanneſius, comâ paniculoſâ. Col. flores racematim diſpoſiti tubulos habent longos, purpuro-violaceos, ſupra parvos pediculos inordinatè diſpoſitos, in ſex partes contortas diviſos, cum punctis aſperis.

Fortè in eodem capite Muſcari ſpecies poſſent collocari.

CAPUT TERTIUM.

Crocus.

CRocus. I. B. flos amethyſtinus Autumno ante folia erumpit, tubuloſus, in ſex partes ſtriatas diviſus, in extremitate leviter dentatas; tria habet breviſſima ſtamina in triangulum diſpoſita, & apices luteos, pulverulentos, rectos, ſulcatos, ſtylus in tres partes longas, coccineas dividitur, oris criſtatis, qui verus Crocus dicitur.

Crocus vernus, latifolius, flavo-varius. B.Pin. flos in ſex partes ad Calicis uſque fundum dividitur.

CAPUT QUARTUM.

Colchicum.

COlchicum commune. B. Pin. flos eſt longus tubulus, in ſex partes pallidè purpureas apertus, quarum tres longiores, tres breviores; ſex brevia ſtamina tubulo adnata, alba; apices longi, recti, ſtriati, lutei; duo ſtyli ſupra caput trigonum lutei.

Plantæ bulboſæ, flore monopetalo ſupra Calicem regulari.

CAPUT PRIMUM.

Tuberoſa vulgò Hyacinthus Indicus.

HYacinthus Indicus, Tuberosâ radice. Cluſ. flos tubulus eſt longus, albus, ſupra Calicem ferè rotundum, in tres cellulas diviſum; flos etiam in ſex partes diviſus; ſex ſtamina & apices luteſcentes, tubulo juxta quaſlibet diviſuras adnato; ſtylus ſupra capſulam albus, intra tubulum.

CAPUT SECUNDUM.

Narciſſus.

NArciſſus totus albus major. B. Pin. flores ſupra Calices trigonos; quilibet flos coronam habet in medio ſinuatam, ex quâ prodeunt ſex veluti petala, flos enim monopetalos eſt; ſex apices & ſtamina quæ exterius non apparent; ſtylus longus, albus, ſupra capſulam: membrana illa quæ florem involvit, antequam aperiatur non poteſt dici Calix, cum floris partem non conſtituat.

CAPUT TERTIUM.

Pancratium.

PAncratii Monſpeliani, vel Hemerocallidis Valentinæ facie Lilio-narciſſus. I B. flos ſupra Calicem trigonum albus, in ſex folia longa & anguſta diviſus, cum lineâ viridi exteriore; pro coronâ ſunt quaſi ſex parva petala alba, diviſa, in fundo lutea, quorum quodlibet ſtamen habet cum apice; ſtylus eſt longus.

Plantæ flore monopetalo ſupra Calicem irregulari.

CAPUT PRIMUM.

Gladiolus.

GLadiolus floribus uno verſu diſpoſitis major, flore purpureo-rubente. B. Pin. flos Calici inſidet monopetalos, in ſex partes diviſus, una ſuperior, duæ laterales, tres inferiores; tria ſtamina & apices longi, recti, exterius virides, intùs lutei; ſtylus tripartitus; capſula ferè rotunda, in tres cellulas diviſa.

CAPUT SECUNDUM.

Iris bulboſa.

IRis bulboſa, anguſtifolia tricolor. B. Pin. flos eſt ſupra Calicem longum, tricapſularem, in novem folia diviſum, quorum terna triangulum efficiunt, tria exteriora lutea ſunt, concava, repanda, bifida, in medio aurantii coloris, tria interna magis inter ſe approximata, ejuſdem magnitudinis, convexa pallidè-cærulea, in medio albicantia; inter unum quodque horum foliorum adeſt ſtamen, cum apice recto, luteo; adſunt adhuc tria interiora folia minora, recta, bifida, pallidè-cærulea.

Nomen commune non mutavimus ad vitandam confuſionem. Credidit. D. Tournefort. florem in ſex tantum partes eſſe diviſum, & tria folia interiora ſtamina vocavit. Sed primò ejuſdem naturæ ſunt ac aliæ partes. Secundò adſunt ſtamina & apices; cur ergò vocabuntur illæ partes ſtamina. Tertiò in ſtaminibus latis ut in Ornithogalo ſtamina lata habent apices, quod non videtur in Iride.

CAPUT TERTIUM.

Iris.

IRis vulgaris Germanica, ſivè Sylveſtris. B. Pin. flos purpureus eodem ferè modo quo Iris bulboſa; tria folia exteriora deorſum reflexa intùs lanuginem habent albo-luteam, circum autem lineas albas tria media ejuſdem coloris, cum lineis albis in fundo tranſverſalibus, tria interiora quæ ſtamina vocat Tournefort. minora ſunt, carinata, reflexa; ſubtùs unumquodque folium adeſt ſtamen cum apice longo, recto, albeſcente; flos eſt monopetalos in novem partes diviſus, ut Iris bulboſa.

Iris tuberoſa Belgarum. I B. meliùs Iridem dicimus quam Hermodactylum Tournefort. in Coroll. flos etiam monopetalos, ſex partes habet ſivè petala majora, tria minima; majora tria exteriora vireſcentia, deorſum reflexa, & nigricante-ſericeo colore tincta, parum bifida; tria minima albo-viridia ferrum lanceæ imitantia; intermedia tria recta, fimbriata, bifida, albo-luteſcentia; habet unumquodque poſterius unum ſtamen, cum longo apice recto, luteo, ſulcato; flos eſt ſupra Calicem.

Plantæ bulboſæ, flore polypetalo Calicem involvente

CAPUT PRIMUM.

Lilium.

LIlium album vulgare. I B. flos magnus albus, hexapetalos; tria petala recta, tria intermedia parum reflexa; ſex ſtamina alba, cum apicibus croceis, pulverulentis, tranſverſim diſpoſitis; Calix ſivè capſula in medio longa, triangularis.

CAPUT SECUNDUM.

Martagon.

MArtagon brevi & gramineo folio. Lilium præcox, nutante flore, tenuifolium. I B. flores penduli, miniati, hexapetali, extrorſum reflexi & convoluti; ſex ſtamina & apices recti ejuſdem coloris; Calix longus trigonus.

CAPUT TERTIUM.

Tulipa.

TUlipa præcox rubra. B. Pin. flos hexapetalos; petala longa, lata, acuta, Calici adhærentia, tria exteriora triangulum efficiunt, & tria interiora; ſex ſtamina quorum quodlibet petalo & Calici annectitur; apices longi, craſſi, recti, lutei, pulverulenti; Calix longus, trigonus. Diximus ſuperius quod membrana quæ florem inveſtit, antequam aperiatur non ſit Calix, quia non eſt pars floris.

CAPUT QUARTUM.

Corona Imperialis.

COrona Imperialis, ſivè Tuſai. I B. ſub caulis ſummo numeroſâ foliorum comâ ornato oriuntur flores ex pediculo penduli, coronæ inſtar diſpoſiti, hexapetali, rubro-phænicei, mucronati, ſtriis obſcurioribus variegati; fundo interno petali rubro-nigricante, in cujus medio eſt membrana alba, aquam dulcem continens; ſex ſtamina alba ejuſdem cum petalis longitudinis; apices longi, recti, albicantes; ſtylus medius ſupra Calicem in tres partes diviſus; Calices ſuccedunt alati qui ſurſum eriguntur.

CAPUT QUINTUM.

Fritillaria.

FRitillaria vulgaris. Park. flos ut ait. I B. in ſummo caule ſæpè unicus, aliquando bini & terni, ex pediculis uncialibus nutantes dependent, pulchri, Campanæ inſtar magni, hexapetali, teſſellato emblemate Fritili diſtincti, plagis alterno rubore, carneo ſanguineovè & albedine pictis; ſtamina ſex cum capitulo farinâ croceâ aſperſo, ſtylum ambiunt tricuſpidem; capitulum triangulare unciam plerumque longum, ita. I B.

CAPUT SEXTUM.

Ornithogalum.

ORnithogalum umbellatum, medium anguſtifolium. B. Pin. flores producit veluti in umbellâ hexapetalos; petala anguſta, acuminata, intùs alba, extrà viridia, limbis albis; cuilibet petalo adhæret ſtamen album, latum ferè ut petalum, cum apice luteo; Calix ferè rotundus, tricapſularis, ſtylo brevi in medio.

Ornithogalum umbellatum, maximum. B. Pin. flores albi majores; Calix magnus nigricans, ſplendens, cum brevi ſtylo albo.

Ornithogalum majus ſpicatum, flore albo. B. Pin. flores ſpicati, albi, cum lineâ viridi exteriùs, in reliquis eodem modo.

Non credimus Hyacinthos ſtellares ad Ornithogala poſſe referri, cum ſtamina non habeant lata, quæ differentia maximi momenti nobis videtur, undè caput proprium conſtituere debent.

CAPUT SEPTIMUM.

Cepa.

CEpa vulgaris. B. Pin. caput habet magnum ferè ſphæricum, ex multis pediculis longis flores ſuſtinentibus compoſitum; flos ſex habet petala parva, anguſta, alba, lineâ viridi in medio; ſex ſtamina quorum tria in baſim lata ſunt, in acutum deſinentia cum apice viridi, tria vero anguſta cum apice; petala non decidunt, ſed ſiccantur circa Calicem qui in tres partes aperitur; bulbuli etiam aliquando inter flores naſcuntur.

Cepa bicornis, tenuifolia, flore obſoleto. Inſt. R. Herb. Allium bicorne proliferum, flore intùs albeſcente, cum ſtriâ purpuraſcente externè. I B. flos hexapetalos; ſtamina alba; apices luteſcentes; Calix tricapſularis.

CAPUT OCTAVUM.

Porrum.

POrrum commune capitatum. B. Pin. caput etiam habet globoſum, ex multis pediculis longis, albis, florem ſuſtinentibus; flos hexapetalos, albus, petalis mucronatis, cum lineâ viridi mediâ; ſex longa ſtamina alba, cum apicibus purpurantibus, & brevi ſtylo ſupra Calicem tricapſularem.

CAPUT NONUM.

Allium.

ALlium vulgare & ſativum. I B. flores cepaceos etiam producit, ſæpiſſimè bulbulis permixtos.

Allium ſativum alterum, ſiuè Allioprasum Caulis ſummo circumvoluto. B. Pin. caput ferè totum ex bulbulis componitur, foliis albis intermixtis, & quidam

flores parvi cum longis pediculis, hexapetali, purpuraſcentes.

Allium Montanum, radice oblongâ. B. Pin. flores, ſtamina & apices purpurei.

Allium Sylveſtre perpuſillum, juncifolium moſcatum. I B. flores albi, cum lineâ purpuraſcente in medio.

Allium, vel Moly Indicum, vulgò Caucaſon. I B. inter folia Caput producit ex multis foliolis & bulbulis permixtis compoſitum, qui terræ commiſſi novas plantas producunt.

Plantæ bulboſæ, flore polypetalo ſupra Calicem.

Narciſſo-leucoium.

NArciſſo-leucoium Pratenſe, multiflorum. Inſt. R. Herb. flores albi, penduli, hexapetali, ſtriati, quorum extimam partem macula viridis, dentata, utrinquè inficit; ſex ſtamina alba & apices lutei, recti; ſtylo longo, albo, ſupra Calicem tricapſularem.

SECTIO SECUNDA.

De plantis bulboſis affinibus.

Plantæ cum Calice interno tricapſulari, flore monopetalo Calicem involvente.

CAPUT PRIMUM.

Aſphodelus.

ASphodelus foliis fiſtuloſis. B. Pin. flores ſpicati, monopetali, albi, in ſex partes diviſi, cum lineâ pur-

puro-ferrugineâ in medio ; ſex ſtamina alba & apices purpurei ; ſtylus ſupra Calicem tricapſularem in tres partes diviſus.

Aſphodelus ſpiralis luteus, Italicus magno flore. H. R. P. flos luteus in quinque partes profundè diviſus, cum lineâ viridi in medio, pars ſuperior plus diſtat ab aliis ; ſex ſtamina lutea ; apices fiunt ferruginei ; tria ſtamina ſuperiora inferioribus ſunt longiora ; ſtylus recurvus, in tres partes diviſus ſupra capſulam.

CAPUT SECUNDUM.

Lilio-Aſphodelus.

LIlio-Aſphodelus phæniceus. Park. Lilium rubrum, Aſphodeli radice. B. Pin. flos Liliaceus in ſex partes phænicei coloris diviſus ; ſex ſtamina & apices tranſverſim poſiti, lutei ; ſtylus longus ſupra Calicem.

Plantæ flore monopetalo ſupra Calicem.

Aloë.

ALoë vulgaris. B. Pin. flores quaſi in ſpicis flaveſcentes, in ſex partes diviſi profundè ; ſupra longum Calicem triangularem ſex ſtamina longa, cum apicibus & ſtylo longo.

Aloë minor foliis variegatis, flore pallidè-rubro. An Aloë Zeilanica pumila, folio variegato. Prod. Par. Bat. flores veluti umbellati, pallidè-rubri, e tubulo longo in ſex partes diviſi ; ſex ſtamina alba, cum apicibus luteis, rectis, ſulcatis ; ſtylo albo ſupra capſulam oblongam intra tubulum reconditum.

Plantæ cum Calice interno polypetalæ, flos Calicem involvens.

CAPUT PRIMUM.

Liliaſtrum.

LIliaſtrum Alpinum majus. Inſt.R. Herb. Phalangium flore Lilii. I B. flos albus, magnus, hexapetalos, quamvis petala unita videantur; ſex ſtamina alba; apices lutei, tranſverſi; ſtylus longus in ſummitate craſſus. A Phalangio differt præcipuè quià Calix longior eſt, flos major & radices craſſiores: quæ differentiæ non deberent illud à Phalangio ſeparare. Nam Tulipa Narbonenſis Calicem habet brevem reſpectu Aliarum, florem etiam multò minorem, & tamen eſt Tulipa.

CAPUT SECUNDUM.

Phalangium.

PHalangium parvo flore ramoſum. B. Pin. flos primo aſpectu videtur monopetalos, in ſex partes diviſus; ſex ſtamina alba; apices lutei, & ſtylus longus.

CAPUT TERTIUM.

Yucca.

YUcca foliis Aloës. B. Pin. flores magni, hexapetali, deorſum dependentes; flores intùs albi, exteriùs vireſcentes; præcipuè tria petala exteriora; ſex ſtamina albâ & apices; ſtylus in tres partes diviſus, ſupra Calicem tricapſularem.

Plantæ polypetalæ, flore ſupra Calicem.

Bermudiana.

BErmudiana Iridis folio, radice fibroſâ. Inſt. R. Herb. flos hexapetalos, cæruleus, fundo luteo; in ſummi-

tate eſt veluti aculeus; ſex ſtamina & apices; ſtylus ſupra Calicem triangularem, cum apice luteo.

Plantæ cum Calice interno tricapſulari, polypetalæ, flore irregulari ſupra Calicem.

CAPUT PRIMUM.

Orchis.

ORchis major tota purpurea, folio maculoſo. I B. flos ſex habet petala pallidè-purpurea; quinque petala veluti cucullum efformant, inferius obſcurè-purpureum Calcar habet ab aliis petalis occluſum; quid capiti ſimile repræſentat; flos eſt ſupra Calicem longum, quem rectè dicit Tournefort. ex tribus feneſtris, & tribus valvis compoſitum, cum ſeminibus ad inſtar ſcobis minutiſſimis.

Orchis Morio fœmina. B. Pin. ex parte petala ſunt Amaranthini coloris; inferius petalum latum, bifidum, cum lineâ albâ in medio; Calcar longum, purpuraſcens; flos eſt ſupra Calicem longum, qui ſimiliter in tres partes dividitur.

CAPUT SECUNDUM.

Helleborine.

HElleborine Montana, anguſtifolia purpuraſcens. B. Pin. flos habet ſex petala, quinque exteriora, unum ſuperius, quatuor lateralia purpuraſcentia, ſextum inferius, cujus pars ſuperior purpurea, elata galeam refert, inferior alba, trifida; ſuſtinetur flos à Calice anguloſo.

CAPUT TERTIUM.

Calceolus Marianus.

CAlceolus Marianus. Dod. invenimus ſolum in flore quinque petala, ſuperius latum, inferius brevius, duo lateralia anguſta, alba, in medio petalum eſt oblongum, turgens, concavum, veluti utriculus in medio apertum, unde calceo ligneo non malè comparatur, roſeo-palidum; flos eſt ſupra Calicem triangularem, ſemine pulverulento plenum.

CAPUT QUARTUM.

Ophris.

OPhris Bifolia. B. Pin. flores albo-virides, ſupra Calicem hexapetali; petalum unum ſuperius galeæ modo, quatuor lateralia anguſta, in medio petalum eſt irregulare, Orchidum more figuram quamdam repræſentans; Calix in tres partes aperitur, & continet ſemen pulverulentum.

SECTIO TERTIA.

Plantæ cum Calice interno monopetalæ, regulares, cum fructu molli, petalis involuto.

CAPUT PRIMUM.

Lilium Convallium.

LIlium Convallium album. B. Pin. flos albus, campaniformis, brevis, cum ſex denticulis; ſex ſtamina alba & apices luteſcentes, cum ſtylo ſupra baccam mollem.

CAPUT SECUNDUM.

Polygonatum.

POlygonatum vulgò Sigillum Salomonis. I B. flos tubulus eſt longus , albus , cum ſex denticulis vireſcentibus ; ſex ſtamina alba , cum apicibus longis, rectis , luteſcentibus ; ſtylo viridi flos propendet.

CAPUT TERTIUM.

Phytolacca.

PHytolacca Americana , majori fructu. Inſt. R. Herb. Solanum racemoſum Indicum. H. R. P. flos tubulus eſt in quinque partes albas profundè diviſus ; decem ſtamina,cum apicibus albis; petala circa fructum nigrum , in decem partes ſulcatum ſiccantur , & non decidunt.

CAPUT QUARTUM.

Thymelæa.

THymelæa foliis Lini. B. Pin. flores veluti in umbellâ albi , monopetali , in quatuor partes diviſi ; octo apices lutei tubulo adhærentes ; ſuccedunt baccæ rubræ ſeminibus fœtæ.

Thymelæa ſaxatilis , Oleæ folio. Inſt. R. Herb. Chamælea Alpina, folio infernè incano. B. Pin. eodem modo. Habet tantum quatuor apices luteos.

Plantæ cum Calice interno, flore monopetalo regulari , ſupra Calicem fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Opuntia.

OPuntia, vulgò Herbariorum. I B. vulgò Ficus Indica. Flos magnus luteo-rubens, in plures partes profundè

diviſus, cum plurimis ſtaminibus & apicibus luteis; ſtylo craſſo in ſummitate diviſo; flos eſt ſupra fructum verè monopetalos, quià integer decidit.

Opuntia minima, folio ſubrotundo. Inſt. R. Herb. flos, ſtamina & apices eodem modo; ſtylus albus, in quinque partes diviſus.

CAPUT SECUNDUM.

Rubia.

RUbia tinctorum ſativa. B. Pin. flos ſupra fructum luteo-viridis, in quinque partes diviſus; quinque ſtamina, cum apicibus luteis, ſtylo ſupra fructum.

Flore monopetalo regulares, ſupra Calicem fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Chryſoſplenium.

CHryſoſplenium foliis auriculatis amplioribus. Inſt. R. Herb. Saxifraga Aurea. Dod. flos viridis in quatuor partes diviſus; octo ſtamina viridia & apices lutei; Calix in duo cornua diviſus.

CAPUT SECUNDUM.

Tithymalo-Niſſolia.

TIthymalo-Niſſolia. Hæc planta quam à D. Niſſole Medico clariſſimo accepimus, eſt ſubfructicoſa; folia habet ſecundum caulem craſſa, longa, anguſta, coſtâ mediâ prominente; latera ſunt retroſum parum plicata; flores ſupra Calicem in ſummitate Caulis plures ſpicatim producit monopetalos, in quatuor partes diviſos, ſuprà luteos, intùs vireſcentes, craſſos, latos, parum

acuminatos ; ſupra quas quatuor partes ſunt villi lutei, placentam imitantes ; plura ſtamina lutea, cum apicibus luteis qui citò decidunt ; ſtylus ſupra Calicem qui eſt ſub flore ; fructus quadrangulares & alati : depingitur & deſcribitur in parte alterâ. Hort. Amſtelodam. nomine Vago , Tetragonocarpos Africana, fruticans, foliis longis & anguſtis.

Monopetalæ regulares, Calice cum pediculo ſupra florem.

Tithymalus.

TIthymalus Characias , ſerrato folio. B. Pin. flos eſt monopetalos, luteus, in quatuor partes diviſus , in quo plura ſunt foliola anguſta , alba , cum luteis mixta , parum fimbriata , cum quibuſdam ſtaminibus ; ex floris medio emergit pediculus, in cujus ſummitate eſt Calix trigonus , pendulus , a quo prodeunt quatuor aut quinque ſtamina lutea ; in illo Calice trigono tria ſemina continentur.

Plurimæ aliæ Tithymalorum ſpecies habent florem lunatum , aliæ verò in quinque partes diviſum.

Plantæ cum Calice interno, flore monopetalo irregulari, fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Arum.

ARum vulgare non maculatum.B. Pin. petalum habet figuræ auriculæ aſininæ albo-viride , ex cujus fundo ſurgit piſtillum , cujus infima pars plurimos habet globulos , quorum quilibet punctulum habet in

medio, & in baccas rubras abit; pars piſtilli media parvos etiam habet globulos luteſcentes; inter utramque partem exeunt filamenta veluti ſtamina luteſcentia; pars piſtilli ſuperior longa, multò craſſior, carnoſa, luteſcens.

CAPUT SECUNDUM.

Ariſarum.

ARiſarum latifolium majus. B. Pin. petalum habet irregulare; pars inferior petali rotunda, longa, alba, cum ſtriis viridibus intùs purpureis, ſuperior cucullus eſt curvus ex purpurâ-niger; in medio ſurgit piſtillum longum, viride, recurvum; in baſi ubi fructus naſcitur ſunt plurima ſtamina brevia, circulariter diſpoſita, cum apicibus luteſcentibus, rotundis.

CAPUT TERTIUM.

Dracunculus Polyphillos.

DRacunculus Polyphillus. B.Pin. florem ſic deſcribit. I B. e ſcapo caulis vagina pedalis exit, coloris foris herbacei; intùs in purpurâ-rubentis, e ſinu promens ſtylum nigrum, Ari piſtillo majorem, in mucronem acutiorem deſinens; ſubſequitur fructus racemoſus, &c.

Monopetalæ irregulares, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Ariſtolochia.

ARiſtolochia rotunda, flore ex purpurâ-nigro. B. Pin. flos longus eſt tubulus, cujus pars verſus pediculum amplior eſt, tubulus deindè anguſtior fit lividè-purpureus, qui in ſummo aperitur & lingulam efformat latam

tam, in fine anguſtam, ſuprà purpureo-nigram, ſubtùs viridem, cum ſtriis purpurantibus; nec ſtamina, nec apices invenimus; ſuccedit fructus ſiccus ferè rotundus.

Ariſtolochia Piſtolochia Cretica. B. Pin. tubulus eſt lucidè-purpureus; pars aperta lutea eſt, cum lineis purpurantibus, ſed limbus eſt obſcurè-purpureus, aut potiùs niger.

CAPUT SECUNDUM.

Aſarum.

ASarum. B. Pin. flos tubulus eſt latus, in tres partes diviſus, intùs purpureus, exteriùs ex viridi-purpuraſcens, cum ſtaminibus & apicibus in fundo quaſi unitis ſupra capſulam, quæ in ſex loculamenta aperitur.

Quidquid dicant novi Botanici, pars tubuli ſuperior flos debet vocari, inferior Calix : undè malè inter plantas flore ſtamineo poſitam fuiſſe cenſemus.

Plantæ cum Calice interno, polypetalæ, regulares, cum fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Aſparagus.

ASparagus ſativa. B. Pin. flos apparet monopetalos, ſed hexapetalos dicitur; petala ſunt parva, albo-viridia; ſex ſtamina & apices albo-lutei; fructus ruber mollis, cum ſtylo.

CAPUT SECUNDUM.

Smilax.

SMilax Aſpera, fructu rubente. B. Pin. flos albus ſupra parvum pediculum, hexapetalos; ſex ſtamina &

apices albi ; ſtylus ſupra fructum qui ruber evadit.

CAPUT TERTIUM.

Chriſtophoriana.

CHriſtophoriana vulgaris noſtras, racemoſa & ramoſa. Moriſſ. hanc ſic deſcribit Raius. Flores racematim diſpoſiti, candidi, ex foliis quinque caducis compoſiti ; ſtamina candida, herbido nonnunquam apice ; Baccæ ſuccedunt nigræ, rotundæ, parum oblongæ, ſtriam lineamvè ex unâ parte oſtendentes.

CAPUT QUARTUM.

Aralia

ARalia Canadenſis. Inſt. R. Herb. Panaces χάρτιμον, ſivè racemoſa Canadenſis. Cornut. quam ſic deſcribit. Flos viti æmulus, primùm Herbaceus eſt, paulò poſt magis candicat, hunc vua excipit, acinis per initia virentibus, deindè ſaturè-rubentibus.

CAPUT QUINTUM.

Ipeccacoanna.

HIc poſſet etiam reduci Ipecacoanna quam ſic deſcribit Marggravius. E medio foliorum in proprio pediculo naſcuntur decem, duodecim aut quindecim floſculi in capitulum congeſti, parvuli, albi, pentapetali cum totidem ſtaminibus albis ; ſequuntur deindè baccæ brunnæ ſeu ſaturatè laccæ coloris, magnitudine Ceraſi Sylveſtris.

Modo Calicem externum non habeat, ut & duæ ſuperiores quas ex aliis deſcripſimus, alioquin ad Librum tertium amandentur.

Plantæ cum Calice interno, flore polypetalo, regulari, cum capſulâ veſicariâ.

Leontopetalon.

LEontopetalon. Matth. flos hexapetalos luteus; ſex ſtamina lata, lutea, ad quorum radices totidem ſunt ſemitubuli; apices breves, circa fructus in veſicâ.

Flore polypetalo regulari in ſpicâ.

Myoſuros.

MYoſuros. I B. Holoſteo affinis, Cauda muris. B.Pin. flos pentapetalos viridis; petala ſubtùs pedata; quinque ſtamina alba; apices luteſcentes recti; cauda in medio ex plurimis capſulis compoſita, in quibus ſemen.

Flore polypetalo capſulæ inſidente.

Hydrocotyle.

HYdrocotyle vulgaris Inſt. R. Herb. Cotyledon acris Septentrionalium. Lob. flos ſupra capſulam pentapetalos, albo-roſeus; quinque ſtamina alba; apices obſcuri cum duplici ſtylo.

Plantæ flore polypetalo regulari, cum capſulâ trigonâ, vel cum corniculis.

CAPUT PRIMUM.

Chamælea.

CHamælea tricocos. B. Pin. flos tria habet petala lutea; tria ſtamina & apices albicantes ſupra capſulam trigonam.

CAPUT SECUNDUM.

Epimedium.

EPimedium quorumdam. I B. quatuor habet petala quaſi tubuloſa, ſubtùs purpuro-ferruginea, ſuprà lutea, aperta ut eſt apertura calcei; quatuor ſtamina, cum apicibus luteis; ſtylo medio ſuccedunt duæ ſiliquæ ſeminibus fœtæ.

CAPUT TERTIUM.

Thalictrum.

THalictrum majus, ſiliquâ angulosâ aut ſtriatâ. B. Pin. quatuor habet petala alba, quæ citò decidunt; numeroſa eſt ſtaminum alborum congeries, cum apicibus luteis; plures ſtyli in ſummo craſſiores; ſemina plura longa, in capſulis longis alatis contenta.

CAPUT QUARTUM.

Ranunculoides Montanum.

RAnunculoides Montanum. Ranunculus Phragmites albus vernus. I B. flos quinque habet petala alba; plura ſtamina & apices, quibus ſuccedunt plura cornicula.

CAPUT QUINTUM.

Unifolium Aconitum.

UNifolium Aconitum. Aconitum luteum Hyemale, unifolium bulboſum. B. Pin. flos luteus pentapetalos; plura ſtamina & apices lutei; in medio plura cornicula lutea, acuta, quorum pars ſuperior longior eſt. Meliùs ſub hoc nomine reducitur quam ſub Helleboro, cum quo nullam habet ſimilitudinem.

CAPUT SEXTUM.

Helleborus.

HElleborus niger trifoliatus. Aldin. flos pentapetalos, luteo-viridis, petalis longis; plura ſtamina & apices ejuſdem coloris; in medio quatuor aut quinque vaginæ, aut cornua ſimul juncta, in quibus eſt ſemen.

CAPUT SEPTIMUM.

Veratrum.

VEratrum, ſivè Helleborum album. Lob. flos pentapetalos viridis, ſtriatus; quinque vel ſex ſtamina recurva; apices luteſcentes, cum aliquot vaginis membranaceis in medio.

CAPUT OCTAVUM.

Nigella.

NIgella Syriaca, ſemine albeſcente aromatico. An Nigella flore ſimplici palleſcente. Parad.Bat.flos pentapetalos albo-pallidus; adeſt præterea corona ex octo petalis bifidis compoſita; petala in fundo ſunt pallidè-cærulea, in ſummitate albo-lutea, cum puncto obſcuro, & parvo petalo in medio cæruleo; plura ſtamina & apices radiatim diſpoſiti; circa Calicem quinquangularem, ventricoſum, veſicam inflatam diceres; quot autem ſunt in Calice anguli, totidem ejuſdem ſummitati innaſcuntur cornicula Arietinorum in modum contotta.

Plantæ cum Calice interno, flore polypetalo irregulari, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Balſamina.

BAlſamina fœmina Perſicifolia. I B. flos purpureus tetrapetalos, irregularis; petalum ſuperius latum, fornicatum, in acumen deſinens; inferius concavum, acutum & caudatum; duo lateralia ampla, aurita. In fundo petali inferioris eſt capſula cum quatuor aut quinque ſtaminibus contiguis, terminata aliis parvis petalis albis capſulam ambientibus, quæ verrucoſa eſt, oblonga & dum matura ſi digitis prematur dehiſcens ſemina ejaculatur.

Balſamina flore majore, ſpecioſo. Inſt. R. Herb.

Balſamina Indica flore ex albo ſuavè purpuraſcente, colore elegantiſſimo variegato. Breyn. Prodr. eodem modo ſe habent.

Balſamina lutea, ſivè Noli me tangere. B. Pin. flos luteus eſt hexapetalos; petalum ſuperius eſt veluti tubulus caudatus, longus, & acutus, intùs plura habet puncta purpuraſcentia; in parte inferiore duo ſunt petala magna, elata, recurva, ſub quibus duo alia ſunt minora, & unum medium; ſiliquæ longæ, quæ leviter tactæ diſſiliunt.

CAPUT SECUNDUM.

Ephemerum.

IN iſto non ſequimur ſententiam. D. Herman. & recentiorum Botanicorum quam ſuperiùs refutavimus, & dicimus Ephemerum habere florem pentapetalum, quod ex deſcriptione patebit.

Ephemerum Africanum Annuum, flore bipitalo. Hort. Lugd. Bat. flos irregularis pentapetalos, duo habet petala lateralia longa, pulchrè cærulea, unum ſuperius breve, albicans, ſicut & duo alia inferiùs poſita; duo ſunt ſtamina brevia in parte ſuperiore capſulæ, cum apicibus luteis, in quatuor partes diviſis; aliud ſtamen ejuſdem figuræ ſub capſulâ, & duo alia ſtamina longiora, recurva, cum apicibus, parum inferiora; ſemina capſulæ incluſa aſpera ſunt & irregularia; ſub flore eſt folium viride, cordatum, quod capſulam involvit, & Calix dici non poteſt, cum non ſit pars floris; in iſto caſu quinque ſtamina indicant quinque petala, natura enim regularis eſt.

Flore polypetalo, irregulari ſpicato.

Fumaria.

FUmaria officinarum, & Dioſcoridis. B. Pin. flores habet ſpicatos, ad Papilionaceos accedentes; quilibet flos albo-purpureus, irregularis, tetrapetalos, & rectè cum Raio dicimus petalum ſuperius caudatum, concavum cochlearis formâ, limbo obſcurius-purpuraſcente, ſuperius viride; duo ſunt petala lateralia quæ primo intuitu nobis unum videbantur, ſed quæ in duo ſeparantur dum decidunt; inter hæc duo petala duo ſunt ſtamina alba, cum apicibus luteis & ſtylo ſupra capſulam apicato; petalum inferius in principio anguſtum, deindè latius & cochlearis formam acquirit; capſula videtur ſemen nudum, ſed facilè rumpitur, & ſemen nudum oſtendit.

Fumaria minor, ſivè tenuifolia ſurrecta. I B. flores in ſpicâ compactâ, albo, luteo, & purpureo varii, minores

cum ſemine lini : non potuimus obſervare an Capſulâ involvatur; ſi enim non haberet capſulam eſſet ſemen nudum, ideò ſub novo nomine ad ſecundam Partem primi Libri jure eſſet transferenda.

Fumaria radice non cavâ major. B. Pin. flos pallidè-purpureus aliis major; petalum ſuperius & inferius bifida ſunt, inferius album; duo petala lateralia, quæ ſtamina lata & apices luteos occultant; capſula in medio longa.

Flore polypetalo difformi ſiliquoſæ.

Capnoides.

CApnoides. Inſt. R. Herb. Fumaria ſiliquoſa. Cornut. floris ſtructura eadem eſt quæ in Fumariâ; Canaliculum habet carnei coloris; os autem, ut dicit Raius, aureo colore ſplendet; ſiliquas profert, ideò a Fumariis ſeparatur, ſicuti deberet ſeparari Fumaria tenuifolia, ſi capſulam non haberet.

Plantæ cum Calice interno, flore polypetalo irregulari, cum capſulis corniculatis.

CAPUT PRIMUM.

Aconitum.

ACONITUM cæruleum, ſeu Napellus primus. B. Pin. flores ſpicati pediculis nixi, cæruleo-purpurei, villoſi, cum ſtriis obſcurioribus, pentapetali, irregulares; petalum ſuperius eſt veluti galea, aut cucullus, concavum, ſub quo latent duo ſtyli craſſi, in ſummitate ſuprà & infrà recurvi, ex utraque parte duo laterales latiores quam duo inferiores, quorum portio ſub cucullo

latet;

latet; in medio ſunt quatuor theculæ, modo plures, modo pauciores, oblongæ, glabræ, in quibus ſemina nigra, rugoſa continentur, circa quas plura ſunt ſtamina recurva, brevia, cærulea, cum apicibus ferrugineis.

CAPUT SECUNDUM.

Staphiſagria.

STaphiſagria. Math. flos etiam ſpicatus, cæruleo- purpureus, villoſus, pentapetalos, irregularis; petalum ſuperius calcar habet externum, aliud parvum internum cum duobus foliolis rectis; duo petala lateralia ſunt, duo inferiora anguſtiora; plurima ſtamina alba & apices caſtanei coloris; vaginæ ut plurimum tres, cum ſtylo in tres partes diviſo; ſemina magna, nigra, rugoſa.

CAPUT TERTIUM.

Delphinium.

DElphinium hortenſe, flore majore ſimplici. Inſt. R. Herb. flos cæruleo-purpureus; quodlibet petalum ſubtùs habet lineam viridem; duo lateralia latiora ſunt, duo inferiora anguſtiora; ſuperius in caudam longam tenuatur, recipitque aliud petalum quod vix poteſt ſeparari, elatum, bifidum, faucem habens, intra quam ſunt ſtamina brevia, alba, lata, cum apicibus luteſcentibus, quæ duo aut tria cornicula circumdant, in quibus ſemina nigra, inæqualia continentur.

CAPUT QUARTUM.

Aquilegia.

AQuilegia hortenſis ſimplex. B. Pin. flos quinque aut ſex habet petala purpuro-violacea, longa, inter quæ ſunt

cornicula decem, plura, aut pauciora, in fundo anguſta, cum brevi calcari incurvo ſub petalis apparente, in ſummitate ex unâ parte longiora & lata; plura ſunt ſtamina alba, breviora & longiora, cum apicibus luteſcentibus; ſiliquæ ſeminales ſurrectæ, acutæ, ſe tangentes, in quibus ſemen nigrum ſplendens.

Aquilegia flore roſeo multiplici. B. Pin. plurima habet petala, alia aliis incumbentia & breviora, pulchro ordine diſpoſita, quæ ſemifloſculi vocari poſſunt; fundus enim eſt tubulus qui in petalum apertum terminatur; ſtamina, apices & ſiliculæ eodem modo ac in ſuperiori.

CAPUT QUINTUM.

Melianthus.

MElianthus Africanus. Hort. Lugd. Bat. flos quatuor habet petala obſcurè-purpurea, ſupra cucullum ferè clauſum, in tres partes diviſum, ſub quo latitant duo ſtyli longi, cum longis ſtaminibus & apicibus; Calix in quatuor loculamenta longa diviſus; flos continet ſuccum melleum, unde nomen.

LIBER TERTIUS

De plantis cum Calice externo & interno.

IN primo Libro deſcripſimus flores plantarum quæ ſunt cum Calice externo: in ſecundo flores qui ſolum habent Calicem internum : in iſto verò tertio Libro deſcribimus flores qui utrumque Calicem habent externum ſcilicet & internum.

Sed quia maximus eſt in iſto Libro plantarum numerus , illum in quatuor partes dividemus. Prima erit de plantis flore monopetalo. Secunda de plantis flore bipetalo aut tripetalo quas ob pauciorem numerum conjungemus. Tertia de plantis flore tetrapetalo. Quarta & ultima de his quarum petalorum numerus excedit.

LIBRI TERTII PARS PRIMA.

PArs iſta prima plures habebit Sectiones quarum differentiæ a fructibus deſumentur. Prima earum quæ fructum habent mollem. Secunda earum quæ ſunt cum fructu ſicco. Tertia earum quæ ſunt cum fructu ſicco non cauleſcentes. Quarta earum quæ ſunt ſpicatæ. Quinta quæ fructum habent cellulis diſtinctum , aut ſiliquoſum. Sexta quæ florem habent irregularem , quæ in tres partes adhuc

dividetur. Prima quæ ſunt flore aperto capſulares aut ſiliquoſæ. Secunda quæ ſunt flore labiato. Tertia denique irregulares galeatæ.

PARTIS PRIMÆ SECTIO Iª.

De plantis cum duplici Calice externo & interno, monopetalæ, regulares, fructu molli, flore involuto.

CAPUT PRIMUM.

Mandragora.

MAndragora fœmina. I B. flore cæruleo-purpuraſcente. B. Pin. Calix externus in quinque partes acutas diviſus; flos monopetalos in quinque partes profundiſſimè diviſus, ita ut vix Campanulatus dici poſſit, quidquid dicant Raius & Tournefort. ad floris diviſuras quinque ſunt floſculi lanuginoſi, albi, coronæ modo; inter utrumque oritur ſtamen album, breve, cum apice ſulcato, ſtylo albo, cum clavâ luteâ, aliquando adeſt alter ſtylus ad latus; fructus non omninò rotundus, luteus, odore ſomnum concilians; ſemen compreſſum reniforme.

Mandragora Mas. I B. floris ſtructura præcedenti ſimilis; flos albo-viridis; fructus globoſus, dum luteus evadit valdè odorus.

CAPUT SECUNDUM.

Solanum.

SOlanum bacciferum vulgari ſimile, foliis profundiùs crenatis. Prod. Parad. Bat. Calix viridis in quinque

partes profundè diviſus; flos monopetalos albus, ſimiliter diviſus, cum lineâ viridi cuilibet diviſuræ; apices, lutei, recti, ſupra brevia ſtamina coeuntes, & ſtylum baccæ inſidentem occultantes.

Solanum officinarum. B. Pin. eodem modo petala reflectuntur.

Solanum Scandens, ſeu Dulcamara. B. Pin. parvus Calix viridis, in quinque partes diviſus; flos obſcurè violaceus, monopetalos, in quinque etiam partes reflexas diviſus; brevia ſtamina; apices longi, lutei ſimul coeuntes.

Solanum fruticoſum bacciferum. B. Pin. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos albus, in cæteris eodem modo.

CAPUT TERTIUM.

Lycoperſicon.

LYcoperſicon fructu Ceraſi rubro. Inſt. R. Herb. Solanum racemoſum, Ceraſorum formâ. B. Pin. Calix in plures partes diviſus; flos luteus in tot partes dividitur quot ſunt Calicis diviſuræ; apices recti, lutei, conjuncti ſupra parva ſtamina, cum ſtylo ſupra fructum.

Lycoperſicon fructu ſtriato duro. Inſt. R. Herb. Solanum pomiferum fructu rotundo, ſtriato, duro. B. Pin. Calix viridis, villoſus, in quinque partes diviſus, longus, & anguſtus; flos luteus in quinque partes profundè diviſus; quinque brevia ſtamina; apices lutei, recti, longi, coeuntes; ſtylus ſupra fructum rubrum, rotundum, planum, ſtriatum.

CAPUT QUARTUM.

Melongena.

MElongena fructu oblongo violaceo. Inſt. R. Herb. Solanum pomiferum, fructu oblongo. B. Pin. Calix in quinque partes, aliquando in plures diviſus; flos violaceus profundè in quinque ſex vel ſeptem partes etiam diviſus; ſtamina brevia; apices recti, lutei, coeuntes ut in aliis Solanorum ſpeciebus, tot ſunt quot florum diviſuræ, cum ſtylo ſupra fructum.

CAPUT QUINTUM.

Capſicum.

CApſicum ſiliquis longis propendentibus. Inſt. R. Herb. Piper Indicum vulgatiſſimum. B. Pin. Calix brevis, viridis, parum in ſex partes diviſus; flos albus, profundè in ſex etiam partes diviſus; ſex ſtamina, & apices viridè-luteſcentes conjuncti; ſtylus in ſummitate craſſus.

CAPUT SEXTUM.

Alkekengi.

ALkekengi officinarum. Inſt. R. Herb. Solanum Veſicarium. B. Pin. Calix viridis, villoſus, in quinque partes acutas diviſus; flos albo-vireſcens, in quinque partes acutas veluti tot angulos diviſus; ſtamina brevia cum apicibus; ſtylus craſſior; in ſummitate fructus, qui folliculo membranaceo involvitur.

Alkekengi Virginianum, fructu luteo. Inſt. R. Herb. Calix in quinque partes diviſus; flos exteriùs luteus, intùs purpuraſcens in quinque etiam partes dividitur; ſtamina purpurea, cum apicibus luteis; involucrum luteum.

Alkekengi fructu parvo verticillato. Inſt. R. Herb. Solanum ſomniferum verticillatum. B. Pin. flores verticillatim caulem ambiunt, luteo-virides, uſque ad medium in quinque partes diviſi acutas; quinque parva ſtamina, cum apicibus luteis, ſtylo in ſummitate craſſiori, & involucro.

CAPUT SEPTIMUM.

Belladona.

BElladona. Cluſ. Solanum maniacum multis, ſivè Belladona. I B. Calix profundè in quinque partes diviſus; flos purpureo-niger, in quinque etiam partes dividitur; quinque ſtamina alba, tubulo adnata; apices parvi nigricantes; ſtylus viridis in ſummitate craſſior: flos non magis differt à flore Solani, quam flos Mandragoræ, ſed habitus plantæ magis Solanum redolet.

CAPUT OCTAVUM.

Ficoides.

FIcoides, ſeu Ficus Africana procumbens, folio tereti, flore purpureo. Hort. Lugd. Bat. Calix eſt cytinus, cui adnaſcuntur folia teretia, ſucculenta; flos monopetalos quamvis polypetalos videatur, plurima enim illa foliola circulo alligata ſunt, in plurimas partes longas, anguſtas, purpureas diviſus, cum ſtaminibus longioribus & brevioribus & apicibus luteis; capſula carnoſa, quinque carnoſis corniculis circumvallata; fructus in principio mollis, qui deindè ſiccatur: plures alias Ficoidum ſpecies vide in Hort. Lugd. Bat.

CAPUT NONUM.

Ruſcus.

RUſcus Myrtifolius aculeatus. Inſt. R. Herb. vulgò Bruſcus. In mediâ folii parte anteriore oritur parvus Calix ſquamoſus, e quo emergunt breves pediculi, quorum unuſquiſque florem ſuſtinet viridem, in ſex partes profundè diviſum, tres latiores, tres anguſtiores; ſuccedit fructus ruber, cum uno aut duobus oſſiculis, rotundus, ſex ſtriis albis coronatus.

Ruſcus latifolius, fructu folio innaſcente. Inſt.R. Herb. Laurus Alexandrina. I B. in medio folii naſcitur aliud foliolum, e cujus fundo oritur parvus Calix ſquamoſus, e quo quidem eriguntur breves pediculi, quorum unuſquiſque florem ſuſtinet ex viridi-flaum, in ſex partes profundè diviſum, tres latiores, tres anguſtiores, cum fructu in medio ſubrotundo.

Plantæ cum Calice externo & interno, monopetalo, regulari, ſupra fuctum mollem.

CAPUT PRIMUM.

Bryonia.

BRyonia aſpera ſivè baccis rubris. B. Pin. Calix viridis, parvus, in quinque partes anguſtas diviſus; flos ſupra Calicem, albo-viridis, monopetalos, lineis viridibus ſtriatus, in quinque partes pariter diviſus, intùs cum pilis albis; quinque parva ſtamina alba & apices; ſtylus ſupra baccam in tres partes diviſus.

Bryonia Zeylanica, foliis profundè laciniatis. Hort. Lugd. Bat. flos vireſcens ſupra baccam eodem modo.

Baccæ,

Baccæ, ut dicit Herman. initio virides, poſtmodum rubellæ, ſtriis lacteis perbellè inſcriptæ.

CAPUT SECUNDUM.

Tamnus.

TAmnus. Plin. ſivè Vitis nigra quibuſdam, folio Cyclamini. I B. flores, ut idem inquit, racematim cohærent, ex luteo-virentes, in ſex partes diviſi, qui baccis innaſcuntur.

CAPUT TERTIUM.

Melo.

MElo vulgaris. B. Pin. Calix viridis, villoſus, aſper, in quinque partes longas & anguſtas diviſus; flos parvus, luteus, ſimiliter in quinque partes ſulcatas diviſus; tres ſtyli longi, lati, cavi, recti, lutei, adunati & apicati; flores ſupra fructum, quorum plures ſunt ſteriles.

CAPUT QUARTUM.

Cucumis.

CUcumis vulgaris viridis. I B. maturo fructu ſubluteo. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos etiam parvus, luteus; ſtylus eodem modo ac Melo; flos ſupra fructum; ſemen Cucumeris habet puſillum apicem, a quo diſtinguitur a ſemine Melonis.

Cucumis Sylveſtris Aſininus dictus. B. Pin. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos citrinus eodem modo cum quibuſdam lineis; tria craſſa ſtamina cum apicibus luteis, & ſtylis diviſis & contortis.

CAPUT QUINTUM.

Anguria.

ANguria Citrullus dicta. B. Pin. Calix eodem modo ac in Melone; flos luteus in fundo e viridi-ſtriatus, in quinque partes profundè diviſus; tres ſtyli albi, in ſummo apicati, lutei, variè fimbriati & ſulcati.

CAPUT SEXTUM.

Pepo.

PEpo vulgaris Raii. Cucurbita foliis aſperis, ſivè Zuccha flore luteo. I B. Calix in quinque partes longas, anguſtiſſimas diviſus; flos magnus, luteus, in quinque partes pariter diviſus, lineis eminentioribus Herbaceis rugoſus; ſtyli lutei & adnati, cum apicibus variè fimbriatis, cum pulvere luteo ſupra fructum.

Pepo Indicus reticulatus, ſeminibus albis major. Hort. Lugd. Bat. Luffa Arabum Weſlig. eodem modo floret, quinque habet ſtylos.

CAPUT SEPTIMUM.

Melopepo.

MElopepo Clypei-formis. B. Pin. florem habet luteum Peponis, a quo præcipuè fructus figurâ differt.

CAPUT OCTAVUM.

Cucurbita.

CUcurbita longa, folio molli, flore albo. B. Pin. Calix ut in ſuperioribus; flos magnus, albus, parum dentatus, cum tribus lineis; quinque ſtamina; apices recti, in ſummitate albi; ſtylus brevis, craſſus; flos ut in aliis ſupra fructum.

CAPUT NONUM.

Momordica.

MOmordica. Caſt. Durant. Balſamina repens, ſivè Mas. B. Pin. Calix viridè-citrinus, in quinque partes acutas diviſus; os citrinus, fimbriatus; in medio ſtylus craſſus, cum apicibus luteis, in quinque partes diviſis.

PARTIS PRIMÆ SECTIO IIa.

De Plantis cum Calice externo & interno, monopetalæ, regulares, fructu ſicco, fructu aſpero aut ſpinoſo.

CAPUT PRIMUM.

Stramonium.

STramonium fructu ſpinoſo, oblongo, flore albo. Inſt. R. Herb. Solanum fœtidum, pomo ſpinoſo oblongo, flore albo. B. Pin. Calix viridis, longus, quinquangularis; flos longus eſt tubulus, ampliatus, in ſummitate albus; quinque etiam habens angulos cornutos; quinque ſtamina in fundo tubuli adnata; apices longi, recti, cum ſtylo longo in ſummitate craſſiori; fructus magnus ſpinoſus.

CAPUT SECUNDUM.

Sycioides.

SYcioides Americana, foliis angulatis, fructu echinato. Inſt. R. Herb. flores ut in Bryoniâ plures ſimul ſupra fructum; Calix villoſus, in quinque partes diviſus; flos monopetalos, luteſcens, in quinque partes

parum diviſus, cum lineis viridibus; fructus Amygdali formâ, echinatus, cum uno ſemine: totus hujuſce plantæ habitus eſt Bryoniæ, ſed fructus cogit nos hìc referre, cum ſit ſufficiens differentia.

Monopetalæ fructu oblongo, cum uno ſemine.

Anthyllis.

ANthyllis Dioſ. Proſp. Alpin. Calix monophillos cum quinque crenulis; flos monopetalos, pallidè-roſeus, in quinque partes diviſus; quinque ſtamina & apices lutei; capſula oblonga unicum ſemen involvens, longum, caſtanei coloris: non debet ideò ad Alſinem referri.

Fructu oblongo, cum plurimis ſeminibus.

CAPUT PRIMUM.

Gentiana.

GEntiana Autumnalis ramoſa. B. Pin. Calix viridis, in quatuor aut quinque partes diviſus; flos tubulus eſt in totidem partes etiam diviſus, violaceus; quinque ſtamina, alba, longa, lata, tubulo adnata; apices recti, lutei; ſtylus bifidus ſupra capſulam longam.

CAPUT SECUNDUM.

Nicotiana.

NIcotiana major latifolia. B. Pin. Tabacum vulgò. Calix viridis in quinque partes acutas diviſus; flos tubulus eſt longus, in medio craſſior, in ſummitate ampliatus & quinquangularis, roſei coloris; quinque habet ſtamina; apices viridè-luteos; ſtylum in ſummitate craſſum, vel clavatum.

Nicotiana minor. B. Pin. Calix villoſus in quinque partes acutas diviſus ; flos tubulus eſt in quinque partes angulos efficientes ampliatus, plicatas & ſulcatas, luteo-palleſcentes; quinque ſtamina ; apices obſcuriores & ſtylus clavatus.

CAPUT TERTIUM.

Centaurium minus.

CEntaurium minus. B. Pin. Calix quinque habet folia viridia, longa, anguſta; flos tubulus eſt longus, anguſtus, in quinque partes rubro-amaranthinas ampliatus; quinque ſtamina alba, tubulo adhærentia & apices lutei; ſtylus clavatus ſupra capſulam longam.

CAPUT QUARTUM.

Centaurium luteum.

CEntaurium luteum perfoliatum. B. Pin. Calix octo habet folia viridia; flos tubulus eſt in octo partes ampliatus, cum ſtaminibus, apicibus luteis & ſtylo clavato. Rectè ſeparamus cum Raio iſtud Centaurium a minore, cum maximè inter ſe differant.

CAPUT QUINTUM.

Oxys.

OXys lutea. I B. Trifolium acetoſum corniculatum. B. Pin. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos tubulus eſt in quinque partes luteas expanſus; quinque habet brevia ſtamina, & apices circa capſulam longam pentagonam, ſupra quam ſunt alia quinque cum apicibus luteis.

Flos monopetalos ſupra capſulam.

CAPUT PRIMUM.

Campanula.

IN Campanularum generibus, flos eſt ſupra acetabulum, ſivè Calicem internum, Calici externo ſuppoſitum, qui marceſcit aut decidit, & ab interno diſtingui debet.

Campanula maxima, foliis latiſſimis. B. Pin. Calix viridis in quinque partes acutas diviſus; flos cæruleus, magnus, in quinque etiam partes profundè diviſus; quinque brevia ſtamina & apices lutei, longi, recti; ſtylus ſupra fructum in tres partes reflexas diviſus.

Campanula vulgatior, foliis Urticæ, ſivè major & aſperior. B. Pin. flos minor eſt, in reliquis eodem ferè modo ſe habet.

Campanula repens, flore minore cæruleo. I B. flos ut in aliis Calici interno inſidet, & ab externo involvitur, qui continuus videtur, ſed marceſcit; flos purpureus in quinque radios ſtellæ modo diviſus.

Campanula Pratenſis flore conglomerato. B. Pin. plures habet flores in unum capitulum congeſtos, albo-purpureos; ſtamina & apices albos, in cæteris eodem modo.

Campanula Perſicifolia, flore cæruleo. Hort. Eyſt. Calix in quinque partes anguſtas radiatim profundè diviſus; flos cæruleus, magnus, amplus, parum in quinque angulos diviſus; quinque brevia ſtamina & apices palleſcentes, recti; ſtylus longus, in tres partes longas, recurvas, & ejuſdem coloris diviſus.

Campanula hortenſis, folio & flore oblongo. B. Pin. Calix in quinque partes rugoſas & aſperas diviſus; flos cæruleus, magnus, ventricoſus, parum in quinque partes anguloſas partitus; quinque apices luteſcentes, contorti, quorum quilibet eſt ſupra foliolum album, ſubrotundum, bifidum ut in aliis Campanulæ ſpeciebus; ſtylus flore longior, in quinque partes diviſus.

Campanula foliis Echii. B. Pin. plures flores in thirſum profert pallidè-cæruleos, magnos, quinque partitos; Calix in quinque partes longas, aſperas diviſus; ſtamina & apices aliarum more; ſtylus longus, pulverulentus, qui in tres partes recurvas & contortas finditur.

Campanula arvenſis erecta. H. Lugd. Bat. vulgò Viola pentagonea. Calix in ſex partes longas, anguſtas diviſus; flos purpuro-violaceus, in quinque partes ad capſulam uſquè diviſus; floris umbilicus albus, ſtriatus; quinque ſtamina & apices albi, recti; ſtylus tricuſpis, albus, reflexus.

Campanula minor annua, foliis inciſis. Moriſſ. Rapunculus minor, foliis inciſis. B. Pin. Calix hirſutus, in quinque partes diviſus, pro floris parvitate latas; flos pallide-cæruleus, parvus, ejuſdem ac aliarum ſtructuræ.

CAPUT SECUNDUM.

Rapunculus.

RApunculus ſpicatus albus. B. Pin. ſpicatus albus, ſeu comoſus. I B. flores in ſpicam longam compacti, albi; quilibet flos Calicem habet parvum, quinquefidum, qui antequam aperiatur tubulus videtur, & deindè in quinque partes anguſtas uſque ad Calicem internum ſivè

capſulam dividitur ; quinque brevia ſtamina ; apices, & ſtylus longus, trifidus.

Rapunculus cæruleo Scabioſæ capitulo. B. Pin. flores in capitulum congeſti plurimis foliis aſperis obvallatum; unuſquiſque flos Calicem habet diviſum , & flos in quinque partes cæruleas profundè dividitur ; quinque brevia ſtamina & apices albos ; ſtylum longum in ſummo craſſiorem.

CAPUT TERTIUM.

Trachelium.

TRachelium cæruleum umbelliferum. Pon. flores purpuro-violacei, in umbellam quaſi diſpoſiti ; Calix brevis cum crenulis ; flos tubulus eſt longus , anguſtus , in quinque partes ſtellæ modo diviſus ; apices vix apparent extra tubulum ; ſtylus longus in ſummo craſſior. Non debet ſeparari a Campanulis propter levem in floribus differentiam , cum in aliis conveniat.

Flos monopetalos, cum fructu ferè rotundo.

CAPUT PRIMUM.

Blattaria.

BLattaria lutea , folio longo laciniato. B. Pin. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos luteus, in quinque partes ampliatus ; ſtamina per limbum veluti plumis purpuraſcentibus ornata , cum apicibus & ſtylo , ſupra capſulam bivaluem.

CAPUT SECUNDUM.

Verbaſcum.

VErbaſcum Mas latifolium luteum. B. Pin. Calix pilis albis obſitus, in quinque partes acutas dividitur;

tur; flos luteus, amplus, in quinque etiam partes diviſus; brevia ſtamina piloſa, cum apicibus, & ſtylo viridi in ſummitate craſſo.

Verbaſcum nigrum, foliis Papaveris corniculati. B. Pin. eodem modo, ſed ſtamina & apices purpurei ſunt; capſulæ ſunt paulò longiores: ſed meliùs diſtinguitur Verbaſcum a Blattariâ totius plantæ habitu.

CAPUT TERTIUM.

Lyſimachia.

LYſimachia lutea major, quæ Dioſcoridis. B.Pin.Calix quinque partitus; flos luteus, monopetalos, in quinque partes profundè diviſus, cum ſtaminibus, apicibus purpureis, & ſtylo ſupra capſulam.

CAPUT QUARTUM.

Ephemerum.

EPhemerum. Math. meretur caput proprium, & meritò a Lyſimachiâ debet ſeparari, nec mutandum ei nomen. Flores ſpicatim diſpoſiti Calicem habent quinque partitum, cum alio Calice parvo majorem cingente; flos albus in quinque partes profundè diviſus; quinque ſtamina alba & apices lutei; ſtylus ſupra capſulam parvam, rotundam.

CAPUT QUINTUM.

Polemonium.

POlemonium vulgare cæruleum. Inſt. R. Herb. Valeriana Græca quorumdam. I B. quia Valerianæ nomen huic plantæ non convenit, relinquimus nomen a Tournefortio datum neſcimus quâ causâ. Calix quinque

partitus; flos cæruleus in quinque partes profundè diviſus; quinque ſtamina cærulea; apices lutei; ſtylus trifidus ſupra capſulam ſubrotundam, in tria loculamenta diviſam.

Polemonium flore albo. In floribus lineas purpureas habet.

CAPUT SEXTUM.

Hydrophyllon.

HYdrophyllon. Mor. Hort. Joncq. Dentariæ affinis, Ehii flore, capſulâ Anagallidis. H.R.Pariſ. Calix profundè in quinque partes diviſus, cum pilis ad latera; flores penduli, albi, plures ſimul in quinque etiam partes ad medium uſque diviſi, cum pilis; quinque ſtamina alba, longa, cum apicibus ſubtùs luteis, ſuprà ferrugineis, tranſverſim politis, cum ſtylo longo, albo, bifido.

CAPUT SEPTIMUM.

Samolus.

SAmolus valerandi. I B. Calix quinque partitus; flos albus, in quinque partes diviſus; quinque ſtamina alba; apices lutei; ſtylus ſupra capſulam.

CAPUT OCTAVUM.

Menyanthes.

MEnyanthes paluſtre, latifolium & triphyllum. Inſt. R. Herb. Trifolium paluſtre majus, rotundiore folio. B. Pin. Calix profundè quinque partitus; flos albus in quinque partes diviſus, cum plurimis filamentis criſpis, variè tortis, albis; quinque ſtamina alba tubulo annexa & apices flavi; in medio ſtylus ſupra capſulam rotundam.

CRPUT NONUM.

Anagallis.

ANagallis Phæniceo flore. B. Pin. Calix profundè quinque partitus; flos Phæniceus in quinque etiam partes ad circulum uſque diviſus; quinque ſtamina; apices lutei, & ſtylus.

CAPUT DECIMUM.

Nummularia.

NUmmularia, ſivè Centimorbia. I B. Calix in quinque partes acutas partitus; flores lutei in quinque partes profundè diviſi; quinque ſtamina; apices citrini, cum parvo ſtylo ſupra capſulam: meretur hæc planta caput proprium & nomen, debetquè diſtingui à Lyſimachiâ.

CAPUT UNDECIMUM.

Cuſcuta.

CUſcuta minor, ſivè Epithymum. B. Pin. flos albus quinque partitus, quaſi Campanulatus, in Calice eodem modo diviſo; quinque ſtamina; apices lutei, & ſtylus.

CAPUT DUODECIMUM.

Convolvulus.

COnvolvulus major albus. B. Pin. Calix brevis in quinque partes diviſus; flos albus, e brevi tubulo ampliatus; quinque ſtamina in fundo tubuli adnata & apices albi; ſtylus ſupra capſulam in ſummo craſſus.

Convolvulus minor arvenſis, flore albo. B. Pin. eodem modo ſe habet; ſtamina ſæpiùs tubulo adhærent, alias capſulam coronant; ſtylus eſt bifidus.

Convolvulus Indicus, flore albo-purpuraſcens, ſemine

albo. H. R. Monſp. flos albo-purpuraſcens, eodem modo ampliatus; quinque ſtamina tubulo adnata; apices longi, recti, albi; ſtylus in ſummo craſſus.

Convolvulus peragrinus cæruleus, folio oblongo. B.Pin. Calix & flos cæruleus, eodem modo ampliatus; apices albi: ſtylus in ſummo craſſus.

Convolvulus ſpicæfolius argenteus, radice repente. Bot. Monſp. Calix parvus in quinque partes acutas diviſus; decem ſunt in flore carneo lineæ, quarum quinque elatiores ſunt; quinque ſtamina; apices recti, & ſtylus bifidus.

Convolvulus Coccineus, folio anguloſo. Plumer. Quamoclit. Inſt. R. Herb. vocatur. Flos longus eſt tubulus, minus ampliatus, quinquangularis ut alii convolvuli; ſtamina circa capſulam, cum unico ſemine longo.

Flos Convolvuli poteſt dici infundibuliformis, quamvis autem Quamoclit tubulum habeat longiorem non debet a claſſe Convolvuli ſeparari: major eſt floris Convolvuli cum flore Quamoclit ſimilitudo, quam floris Convolvuli cum Tithymalo quem Convolvulo ſubjungit Tournefort. nec obſtat ſemen unicum in capſulâ, dum caracter deſumitur à flore: non poſſumus etiam dicere quâ de causâ Anthyllidem. Proſp. Alpin. Quamoclit vocaverit in ſuo corollario, cum tantum inter ſe differant.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Mirabilis Peruviana.

MIrabilis Peruviana. H. L. Bat. Calix parvus, viridis, in quinque partes diviſus; flores in variis plantis variorum commixtorum colorum, quilibet longum ha-

bet tubulum, in Campanulam efformatum; quinque ſtamina longa, contorta, cum apicibus tubulo adnatis; ſtylus ſupra capſulam rugoſam, quæ unum ſemen continet contortum, & in ſummo craſſum. Tournefort. Jalapium eſſe cum Plumerio & Lignonio arbitrantur: alii Jalapium Convolvuli ſpeciem eſſe credunt ab iſto diſtinctum.

Plantæ monopetalæ, regulares, fructu ut plurimum compreſſo.

Veronica.

Veronica ſupina Mas, & vulgatiſſima. B. Pin. Calix in quatuor partes diviſus; flos dilutè-cæruleus, in quatuor etiam partes ad baſim uſque diviſus; duo ſtamina & apices; ſtylus ſupra capſulam compreſſam & cordatam.

Veronica ſpicata latifolia. B. Pin. flores in ſpicâ longâ cærulei, in quatuor partes diviſi, ut & Calix externus; duo ſtamina & apices purpuraſcentes; ſtylus & capſula eodem modo.

Veronica ſupina, facie Teucrii Pratenſis. Lob. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos eodem modo diviſus, obſcurè-cæruleus; ſtamina & apices; ſtylus in ſummo craſſior.

Veronica floſculis oblongis pediculis inſidentibus, Chamædryos folio. Moriſſ. Alſine Chamædrifolia. B. Pin. in hoc præcipuè diſtat iſta ab aliis, quod elapſo flore ſuccedunt duo loculi bipartiti veluti duo teſticuli, in quibus ſemen continetur.

PARTIS PRIMÆ SECTIO III^a.

Plantæ cum Calice externo & interno, monopetalæ, regulares, acaules, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Primula veris.

PRimula veris odorata, flore luteo ſimplici. I B. Calix in quinque partes virides, angulatas diviſus; flos e tubulo in quinque etiam partes cordatas dividitur: quinque ſunt ſtamina tubulo adnata & apices; ſtylus ſupra capſulam in ſummitate apertus.

CAPUT SECUNDUM.

Auricula urſi.

AUricula urſi, flore luteo. I B. flores luteos in cacumine pediculi gerit, quorum Calix breviſſimus in quinque partes dividitur; flos luteus e tubulo multùm ampliatus, & in plures partes diviſus, ac fimbriatus; quinque parva ſtamina tubulo adnata, & apices lutei, recti; ſtylus brevis ſupra capſulam, in ſummitate luteus: tantanè eſt in floribus Auriculæ urſi & Primulæ veris differentia, ut diverſis ſectionibus debeant ſeparari.

CAPUT TERTIUM.

Androſace.

ANdroſace Mathioli altera. I B. Alſine affinis Androſace dicta, major. B. Pin. Calix expanſus, viridis, in quinque partes uſque ad capſulam diviſus; flos parvus, albus, in quinque etiam partes diviſus; capſula in medio luteo apicata.

PARTIS PRIMÆ SECTIO IVª.

Plantæ flore monopetalo, ſpicatæ.

CAPUT PRIMUM.

Plantago.

PEritiores Botanici de flore Plantaginis & ſequentium diversè ſentiunt. Raius inter flores ſtamineos reponit. Tournefortius inter petalodes, litem hanc ſic dirimendam arbitramur ; quod non movere nos debet floris color, cum omnium ferè colorum flores reperiantur virides & alii : ideò illud purè arbitrarium eſſe debet, modo non reperiantur plantæ ejuſdem generis, quæ diverſos habeant in floribus colores, ut contingit in Helleboro, Pimpinellâ & aliis quarum una ſpecies florem habet viridem , altera rubrum ; tunc enim quæ ſunt flore viridi debent dici petalodes.

Plantago latifolia ſinuata. B. Pin. flores ſunt ſpicati ; Calix quadrifolius ; flos parvus eſt tubulus in quatuor partes diviſus ; quatuor ſtamina & apices : Calix horizontaliter in duas partes dividitur.

Plantago latifolia Incana. B. Pin. Calix eodem modo diſpoſitus ; flos tubulus albus , in quatuor partes diviſus ; quatuor ſtamina longa , alba ; apices albi , diviſi ; parvus ſtylus ſupra capſulam, quæ Calici externo adhæret , & eodem modo aperitur.

Plantago anguſtifolia major. B. Pin. eodem modo ſe habet ac latifolia ſinuata ; apices ſunt luteſcentes.

Plantago anguſtifolia albida Monſpelienſis. Inſt. R.

Herb. Holoſteum Monſpeſſulanum. I B. Calix quadrifolius; flos eſt tubulus albus, in quatuor partes diviſus; ſtamina quatuor alba; apices lutei; ſtylus longus, plumatim diviſus.

CAPUT SECUNDUM.

Coronopus.

COronopus hortenſis. B. Pin. præcipua differentia eſt in foliis, ideò poſſet jungi cum Plantagine, cum dentur ſpecies Plantaginis foliis dentatis.

CAPUT TERTIUM.

Pſyllium.

PSyllium majus ſupinum. B. Pin. flores in ſpicâ brevi; Calix in ſingulis floribus quadrifolius; flos parvus eſt tubulus, in quatuor partes albas diviſus & ampliatus; quatuor longa ſtamina; apices luteſcentes.

PARTIS PRIMÆ SECTIO V^a.

Plantæ flore monopetalo, quæ Calicem internum loculis diſtinctum, aut ſiliquoſum habent.

CAPUT PRIMUM.

Malva.

MAlva vulgaris, folio ſinuato, flore majore. I B. duplicem habet Calicem externum villoſum, exterior in tres partes dividitur, interior in quinque; flos amplus, roſeus, in quinque partes uſque ad circulum diviſus, cum ſtriis obſcurioribus, & emarginatus; in medio capſularum quæ placentæ rotundæ in modum diſpoſitæ ſunt,

ſunt, erigitur ſtylus in cujus ſummitate plures ſunt globuli parvis pediculis nixi, in quibus videntur quaſi foliola alba.

Malva trimeſtris. Cluſ.

Malva folio vario. B. Prodr.

Malva Hiſpanica. H. R. Bleſ. omnes hæ Malvæ ſpecies eodem ferè modo ſe habent.

Malva roſea, flore pleno. B. Pin. duplicem etiam habet Calicem externum & internum, exterior in quinque partes dividitur, interior in decem; flores multò majores. Malè Malva roſea ab aliis ſeparatur propter quaſdam in foliis diviſuras, cum plures Malvæ ſpecies folia multò magis diviſa habeant.

CAPUT SECUNDUM.

Althæa.

ALthæa, ſivè Biſmalva. I B. vera Malva eſt, cui tamen propter celebrem in Medicinâ uſum caput proprium dedimus. Optandum ut idem feciſſet in aliis plurimis, quibus celebre nomen in Medicina abſtulit, & majorem attulit confuſionem. Nec opus eſt deſcriptione floris.

CAPUT TERTIUM.

Alcea.

ALcea vulgaris. I B. vera etiam eſt Malva cum ſuo duplici Calice. Flos roſeus in quinque partes emarginatas diviſus; ſtylus & globuli ejuſdem cum flore coloris.

Alcea, potius quam Althæa Ricini folio Virginiana H. Lugd. Bat. ſimplicem habet Calicem veluti parvum

cytinum, in quinque partes diviſum: unde caput proprium debet conſtituere; flores albi uſque ad circulum diviſi, emarginati; ſtylus albus, parvis ſtaminibus & apicibus purpureis coronatus.

CAPUT QUARTUM.

Althæades.

Althæades Ulmi folio. Althæa Ulmi folio, ſemine roſtrato. H. R. Pariſ. Malva annua di Pernambuco. Zanon. quamvis dixerimus nomina plantarum non eſſe mutanda, ſi fieri poſſet, ad vitandam confuſionem, cogimur tamen huic nomen dare, quia nec Malva eſt, nec Althæa. Calix exterior quinque habet filamenta, interior in quinque partes dividitur, latas, acutas, fructum involventes; flos parvus, luteus, in quinque partes diviſus; ſemina roſtrata.

CAPUT QUINTUM.

Xylon.

Xylon, ſivè Goſſipium herbaceum. I B. Calix tria habet magna folia, lata, dentata; flos luteus, amplus, ad capſulam uſque in quinque partes diviſus, dentatus, in umbilico purpuraſcens; quædam brevia ſtamina circa ſtylum, in cujus ſummitate ſunt plures globuli quaſi floridi.

CAPUT SEXTUM.

Abutilon.

Abutilon. Dod. Althæa Theophraſti, flore luteo. I B. Calix villoſus in quinque partes dividitur; flos luteus parum apertus, eodem modo diviſus, qui intra Calicem & capſulam ex placentâ oritur; in medio floris

eſt capſula e plurimis vaginulis longis compoſita, in quibus ſemen reniforme.

CAPUT SEPTIMUM.

Ketmia.

KEtmia Syrorum quibuſdam. B. Pin. Alcea arboreſcens glabra, Ketmia dicta. I B. duplicem habet Calicem ut Malva, exterior in quinque, ſex & ſeptem partes anguſtas profundè diviſus, inferior in quinque latiores; flos purpuraſcens magnus in quinque etiam partes profundè dividitur; ſtylus longus, craſſus, numeroſis globulis albicantibus veſtitus. Deberet poni inter frutices.

Ketmia veſicaria vulgaris. Inſt. R. Herb. Alcea veſicaria. B. Pin. duplicem etiam habet Calicem eodem modo diviſum; flos amplus variorum colorum, in quinque partes diviſus; Calix internus veſicarius in quinque partes aperitur.

CAPUT OCTAVUM.

Cotyledon.

COtyledon major. B. Pin. Umbilicus Veneris. Cluſ. Calix brevis in quinque partes diviſus; flores in ſpicâ penduli, tubuloſi, luteſcentes, parum aperti, unuſquiſque in quinque partes parum diviſus quoſdam habet apices tubulo adnatos; fructus in medio innaſcitur, quinque vaginulis rectis, luteſcentibus compoſitus.

Cotyledon Africana fruteſcens, foliis orbiculatis, limbo purpureo cinctis. Inſt. R. Herb. Sedum Africanum fruteſcens Incanum, foliis orbiculatis. H. L. Bat. Calix in quinque partes profundè dividitur; flos rubro-

pallidus quinque partitus; decem ſtamina; apices lutei; fructus in medio quinque habet vaginulas.

Cotyledon radice tuberosâ, longâ, repente. Moriſſ. eodem modo ac major.

Plantæ monopetalæ cum loculis ſiliquoſis.

CAPUT PRIMUM.

Apocynum.

APocynum folio ſubrotundo. B. Pin. Calix quinque partitus; flores albi quaſi umbellati, unuſquiſque profundè in quinque partes diviſus; decem ſtamina brevia, cum apicibus & brevi ſtylo; duas habet longas ſiliquas, in quibus eſt ſemen.

Apocynum Indicum, foliis Androſæmi majoris, flore Lilii-convallium ſuave-rubente. H. R. Par. flos accedit ad florem Lilii-convallium, diviſuris parum reflexis; ſtaminibus latis, luteſcentibus; Calice externo brevi, quinque fido. Si parva quædam floris differentia genus diverſum facit, cur iſtud Apocynum non poſuit. D. Tournefort. cum Lilio-convallium.

CAPUT SECUNDUM.

Periploca.

PEriplocæ nomen diverſo ſenſu accipimus ac fecit Tournefort. pro Apocyno, quod florem habet non ſolùm monopetalon, in quinque partes diviſum, ſed quod in floris medio ſint plura cornicula, ita ut flos compoſitus videatur: quâ differentiâ rectè diſtinguitur non habito reſpectu ad majorem aut minorem florem, magis aut minus expanſum, nec ad nominis æthimologiam.

Periploca. Sivè Apocynum majus Syriacum. Cornut. Calix viridis in quinque partes anguſtas diviſus ; flos roſeus in quinque etiam partes dividitur, in cujus medio ſunt quinque vaginulæ, quarum una pars longior eſt ; ſtylus eſt aduncus, quo muſcæ capiuntur ; in centro floris plura ſunt conceptabula alba ; ſiliquas fert.

Periploca ſcandens, folio oblongo, flore purpurante. Sivè Apocynum. I B.

Periploca. Sivè Apocynum minus Canadenſe. Cornut. eodem modo.

Periploca. Sivè Apocynum Africanum, anguſto Salicis folio. Parad. Bat. Calix in quinque partes diviſus ; flos albus ſimiliter diviſus ; quinque vaginulæ verſus ſtylum apertæ, quarum unaquæque duo cornicula habet ; ſtylus clavatus, circa quem ſunt quinque ſtamina lata, in limbo nigricantia ; ſupra placentam albam, quinquangulosſam ſuccedunt ſiliquæ longæ.

CAPUT TERTIUM.

Aſclepias.

ASclepias albo flore. B. Pin. Calix in quinque partes breves & anguſtas diviſus ; flos albus eodem modo diviſus, cui ſuccedunt ſiliquæ longæ.

Aſclepias nigro flore. B. Pin. florem habet nigrum, in reliquis eodem modo ſe habet : tota planta, ut ait Raius, ſucco luteo, ingrato turget.

CAPUT QUARTUM.

Pervinca.

PErvinca vulgaris latifolia. Inſt. R. Herb. Clematis Daphnoides. B. Pin. Calix in quinque partes lon-

gas & anguſtas diviſus; flos tubuloſus ampliatur & in quinque partes cæruleas dividitur; inter utramque diviſuram eſt unum foliolum acutum, tubulo annexum; quinque ſunt ſtamina brevia, lata; apices lutei; ſupra fructum parvum eſt aliud foliolum album, in quinque partes diviſum, cui ſuccedunt ſiliquæ.

PARTIS PRIMÆ SECTIO VI[a].

SECTIONIS SEXTÆ PARS. I[a].

Plantæ cum Calice externo & interno, flore monopetalo, irregulari aperto, capſulares.

CAPUT PRIMUM.

Hyoſcyamus.

HYoſcyamus vulgaris, vel niger. B. Pin. Calix in quinque partes dividitur; flos etiam in quinque partes inæquales, ut rectè. Rivin. nam ſuperior longa eſt, laterales duæ paulò breviores, duæ inferiores adhuc breviores, colorem habet pallidè-album, cum plurimis lineis obſcure-purpureis; quinque ſtamina & apices; ſtylo in ſummo craſſiori, ſupra capſulam oblongam in duabus cellulis diſtinctam, cujus operculum ſemine maturo aperitur.

Hyoſcyamus albus. I B. Calix etiam in quinque partes diviſus parum inæquales; flos eodem modo, albus, fundo purpureo; quinque ſtamina & apices albi; ſtylo ſupra capſulam longo, purpuraſcente & in ſummo craſſiori.

Hyoſcyamus peregrinus annuus, luteo flore. H. R. Monſp. eodem modo ſe habet; apices ſunt purpuraſcentes.

CAPUT SECUNDUM.

Digitalis.

DIgitalis purpurea. I B. flores in longum Thyrſum diſpoſiti, ex unâ parte penduli; quilibet flos magnus & amplus eſt tubulus purpuraſcens, in quinque partes irregulariter diviſus, duæ ſuperiores & duæ laterales breviores, inferior longior eſt alba, innumeris maculis obſcurè-purpureis punctata; intra tubulum quatuor ſunt ſtamina, duo ex qualibet parte, longa, & brevia tubulo adnata; apices didymi, lutei, purpurâ guttati; ſtylus albo-purpureus, longus; Calix viridis, ſtriatus, in quinque partes acutas diviſus.

Digitalis major lutea vel pallida, parvo flore. B. Pin. Calix eodem modo dividitur; flores etiam minores ex eodem latere penduli; floris diviſuræ anguſtæ, acutæ, inferior longior & obtuſa; ſtamina; apices & ſtylus eodem modo.

Digitalis latifolia, flore ferrugineo. H. R. Par. eadem eſt totius floris ſtructura.

Seſamum. I B. Digitalis Orientalis, Seſamum dicta. Inſt. R. Herb. flos eſt verè flos Digitalis, albus, limbo parum reflexo. Si quis ob nomen celebre proprium caput dare voluerit, licet.

CAPUT TERTIUM.

Gratiola.

GRatiola Centauroides. B. Pin. floris diſpoſitio meretur caput proprium. Calix nobis videtur quinque folius; flos irregularis, in quinque partes purpuraſcentes diviſus, quarum ſuperior trifida eſt, cum ſtaminibus,

apicibus & ſtylo in ſummo craſſo, capſulâ longâ.

CAPUT QUARTUM.

Scrophularia.

SCrophularia Sambuci folio. Parkinſ. Calix quinque partitur; flores ſecundum caulem plures ſimul ventricoſi, parvo ore, irregulares, ſuprà purpuraſcentes, inferiùs luteſcentes, in quinque partes diviſi, duæ ſuperiores longæ, latæ, limbo ſuper alium eminente, inter quos eſt veluti foliolum aut ſtamen latum, duæ laterales breviores ut & infima; in umbilico ſunt veluti quatuor ſtamina lata, lutea, veluti apices; ſtylo ſupra capſulam curvo.

Scrophularia nodoſa fœtida. B. Pin. flos parvus ejuſdem ferè ſtructuræ, duæ partes ſuperiores purpureæ, tres inferiores luteo-virides.

Scrophularia Urticæ folio. B.Pin. flos parvus, purpureus, in cæteris eodem modo.

Scrophularia, Ruta Canina dicta vulgaris. B. Pin. flos eodem modo, duæ partes laterales albæ, latiores, aliæ verò purpureæ; ſtamina alba; apices purpuraſcentes & ſtylus qui extra florem conſpicitur.

CAPUT QUINTUM.

Acanthus.

ACanthus aculeatus. B. Pin. flores in Thyrſum profert, unuſquiſque petalum habet album, in principio anguſtum, quod deindè latum & planum evadit ac fornicatum, in tres partes in ſummitate diviſum; Calix externus ex foliis diverſæ figuræ componitur, exterius ejuſdem eſt figuræ cum petalo & magnitudinis, cum tribus

coſtis

coſtis pinnis terminatis, quod prope florem eſt brevius, latum & pinnatum; folium adhuc habet ſub illo adhuc brevius in marginibus & in ſummo ſpinoſum; ad latera folii exterioris & interioris eſt adhuc aliud foliolum longum, anguſtiſſimum, acutum; quatuor ſunt ſtamina alba, craſſa; apices longi, tranſverſim poſiti; ſtylo tenui.

CAPUT SEXTUM.

Euphraſia.

EUphraſia officinarum. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores, tres inferiores; flos tubulus eſt in duas partes albas, purpurantibus lineis intùs ſtriatis diviſus, & cum duabus maculis flavis; pars ſuperior bifida eſt, & utraque diviſura in tres alias ſecta, inferior in tres partes quaſi cordatas diviſa ſtaminula & apices aliquot occultat: non videmus quomodo flos Euphraſiæ dici poſſit perſonatus, ut & Coridis de quo mox dicemus.

CAPUT SEPTIMUM.

Coris

COris Monſpeſſulana cærulea. I B. Calix monopetalos, rubro-purpureus, decem circiter aculeis pungentibus armatus, quinque ſunt adhuc circa florem, qui tubulus eſt pallidè-cæruleus, in quinque partes irregulares profundè diviſus, tres ſuperiores longæ, duæ inferiores breviores; quinque ſtamina alba; apices lutei; ſtylus ſupra capſulam.

CAPUT OCTAVUM.

Pinguicula.

PInguicula Geſneri. I B. Calix in quinque partes diviſus; flos Violæ ſimilis, monopetalos, violaceus, in

quinque etiam partes diviſus, duæ ſuperiores, tres inferiores, quarum media latior eſt, intùs pilos albos habet, cum calcari longo; duo ſtyli ad latera albi, & in ſummo craſſiores.

CAPUT NONUM.

Cyclamen.

CYclamen Hederæ folio. B. Pin. Calix quinquepartitus; flos parvus eſt Cytinus, qui in quinque partes longas, roſeas vel purpureas ſurſum reflexas dividitur: unaquæque pars prope Cytinum duas habet maculas amaranthinas, limbis eminentioribus albis; ſtylum album, acutum ſupra capſulam.

Cum Calice externo & interno, flore monopetalo, irregulari, ſupra capſulam trigonam.

Cannacorus.

CAnnacorus latifolius vulgaris. Inſt. R. Herb. Arundo Indica. B. Pin. flos eſt ſupra capſulam; duplicem habet Calicem externum, exterior in tres partes breves dividitur, interior in tres etiam longiores; flos monopetalos, in quinque partes longas, rubras, anguſtas irregulariter diviſus, media anguſtior eſt, plicata, cui annectitur longus apex; capſula trigona, verrucoſa, & veluti ſpinoſa, ut dicit. Cluſ. ſemina nigra, rotunda.

Cum Calice externo & interno, monopetalæ, ſiliquoſæ, irregulares.

Bignonia.

BIgnonia Americana Fraxini folio, flore amplo phæniceo. Inſt. R. Herb. Gelſeminum Indicum hedera-

ceum. Cornut. Calix Cytinus eſt craſſus, pallidè-phæniceus, in quinque partes diviſus; flos tubulus eſt longus, phæniceus, in quinque partes inæquales ampliatus, quarum duæ ſunt ſuperiores, duæ laterales & una inferior; intùs plurimæ lineæ purpureæ; quatuor ſtamina alba, tubulo adnata, cum apicibus luteis, ſulcatis; ſtylo pleno in ſummo diviſo; ſiliquæ craſſæ, longæ.

SECTIONIS SEXTÆ PARS. II[a].

Plantæ cum Calice externo & interno, monopetalæ, irregulares, flore labiato.

CAPUT PRIMUM.

Antirrhinum.

Antirrhinum majus vulgare. I B. Calix parvus, viridis, villoſus, in quinque partes diviſus, una ſuperior longa, quatuor laterales breviores; flores veluti ſpicati, longi, magni, roſei, unuſquiſque duo habet labia quæ os referunt, ſuperius bifidum eſt, inferius trifidum; quatuor ſunt ſtamina contigua, duo longa, duo brevia, cum apicibus; ſtylus longus ſupra capſulam.

Antirrhinum Saxatile repens, Hederæ terreſtris folio. H. R. Monſp. Aſarina. Lob. ideò plantam iſtam cum Antirrhino reponimus, quia Calicem & florem habet Antirrhini, licet labium ſuperius non ſit bifidum; flos albus cum lineis purpureis; apices albi. Nec ideò ſeparandum quia capſulam habet Linariæ, dum caracter a Calice, vel flore deſumitur, ne nova genera multiplicentur.

Antirrhinum arvenſe majus. B. Pin. Calix in quinque partes longas, anguſtas, acutas, eodem modo diſpoſitus; flos albo-roſeus, minor; duo labia fimbriata; apices lutei

CAPUT SECUNDUM.

Linaria.

LInaria odorata Monſpeſſulana. I B. Calix eodem modo diviſus ac in Antirrhino; flos irregularis, albo-cæruleus, duo habet labia, os medium luteum eſt, labius ſuperius elatum, bifidum, inferius trifidum cum calcari a quo præcipuè diſtinguitur ab Antirrhino; quatuor habet ſtamina alba, duo longa, duo brevia; apices luteos; ſtylum album, in ſummo craſſiorem; flos inter utrumque Calicem ex placentâ oritur.

Linaria cærulea repens. B. Pin. Lineas habet in flore purpuro-cæruleas.

Linearia purpurea magna. I B. flos eſt obſcurè-purpupureus, parvus, cum brevi calcari.

Linaria Sicula multicaulis, Molluginis folio. Bocc. Calix in quinque partes longas, anguſtas & acutas diviſus; flos luteus, irregularis; labium ſuperius elatum, bifidum, reflexum, ore croceo, inferius trifidum cum calcari longo; quatuor ſtamina alba; apices lutei; ſtylus diviſus.

Linaria Annua anguſtifolia, floſculis, albis, longiùs caudatis. Triumph. flos parvus, albus; calcar vero longiſſimum album.

Linaria ſaxatilis, Serpilli folio. Inſt. R. Herb. Antirrhinum ſaxatile, Serpilli folio. B. Pin. ad Linarias melius reducitur, quia calcar habet; os flpurpureus; ſtamina & apices albi cum ſtylo.

Linaria folio hederaceo glabro, ſeu Cymbalaria vulgaris. Inſt. R. Herb. flos cogit hanc plantam ad Linarias referre, quamvis in reliquis multum differre videatur.

CAPUT TERTIUM.

Dodartia.

Dodartia. Inſt. R. Herb. Calix viridis in quinque partes diviſus, una ſuperior, quatuor laterales; flos tubulus eſt in duo labia obſcurè-purpurea diviſus, ſuperius brevius parum diviſum, inferius quaſi clauſum, cum duabus alis anguſtis & longis, cum tribus coſtis, & quibuſdam pilis albis: non poteſt dici flos perſonatus ut nec Morina.

CAPUT QUARTUM.

Morina.

Morina Orientalis, Carlinæ folio. Inſt. R. Herb. antequam cauleſcat Carlinam refert. Caulis ſpinoſus; flores verticillati intra Calices ſpinoſos; flos longus eſt tubulus in duo labia alba diviſus, ore purpuraſcente, ſuperius bifidum, reflexum, inferius in tres partes æquales diviſum; ſtamina alba; apices luteſcentes; ſtylus curvus, viridis, craſſior in ſummo ſupra capſulam.

SECTIONIS SEXTÆ PARS. III[a].

Plantæ cum Calice externo & interno, monopetalæ, irregulares, galeatæ.

CAPUT PRIMUM.

Adhatoda.

Adhatoda Zeilanenſium. H. L. Bat. Calix in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores, duæ laterales, una

inferior; flores in ſpicam diſpoſiti, albi; unuſquiſque duo habet labia, ſuperius eſt veluti Galea curva, bifida, ſupra albo-lutea, intùs ſunt quædam lineæ purpuraſcentes, inferius labrum in tres partes diviſum, quarum duæ laterales ſunt quaſi plicatæ, cum lineis purpureis; ſtamina alba cum longis apicibus diviſis; ſtylo longo, albo ſupra fructum.

CAPUT SECUNDUM.

Melampyrum.

MElampyrum purpuraſcente comâ. B. Pin. Calix in quinque partes longas diviſus, duas ſuperiores, duas laterales, unam infimam; floris tubulus duo habet labia, ſuperius eſt Galea clauſa, purpurea, limbo albo fimbriato, inferius luteum eſt limbo purpureo emarginato, ſulcatum, cum auriculâ ad latus, reliquæ floris partes luteæ; quatuor ſtamina, duo parti ſuperiori, duo inferiori adnata; apices lutei; ſtylus longus ſupra capſulam.

Melampyrum luteum latifolium. B. Pin. Calix in quatuor partes diviſus; flos e tubulo in duas partes dividitur; labium ſuperius Galea eſt ſupra & ad latera reflexa, inferius intùs plicatum; in medio ſunt veluti duæ papillæ lineâ ſeparatæ, in extremo in tres partes parum diviſæ, in cæteris eodem modo.

CAPUT TERTIUM.

Pedicularis.

PEdicularis Pratenſis lutea, vel Criſta Galli. B. Pin. Calix viridis in quatuor partes diviſus; tubulus in duo labia lutea, ſuperius Galea eſt clauſa, cum auriculâ vel appendice in quolibet latere pallidè-purpureâ: infe-

rius in tres partes dividitur, mediâ longiore; quatuor ſtamina, duo parti ſuperiori, duo inferiori annexa; apices lutei; ſtylus ſupra capſulam.

Pedicularis Pratenſis purpurea. B. Pin. Calix craſſus, ſtriatus, in quatuor aut quinque partes diviſus; tubulus in duo purpurea labia, ſuperius eſt Galea clauſa, inferius in tres partes dividitur; quatuor ſtamina longa, alba; apices lutei; ſtylus ſupra capſulam.

Pedicularis ſerotina, purpuraſcente flore. Inſt. R. Herb. Euphraſia Pratenſis rubra. B. Pin. Calix in quatuor partes diviſus; tubulus in duo labia purpurea, ſuperius longa eſt Galea clauſa, inferius in tres partes diviſum; quatuor ſunt ſtamina alba & apices lutei tubulo annexa; ſtylus longus purpuraſcens in ſummo craſſiori.

CAPUT QUARTUM.

Orobanche.

ORobanche ramoſa, floribus purpureis. B. Pin. Calix quaſi ſquamoſus ſex aut ſeptem habet foliola acuta; tubulus ſeu flos in duo labia diviſus eſt, ſuperius Galea eſt parum reflexa, inferius in tres partes dividitur, duæ laterales, una media, cum duabus appendicibus albis, ſericeis, emarginatis; quatuor ſtamina & apices albi; ſtylus ſupra fructum, cum altero veluti apice.

LIBRI TERTII

PARS SECUNDA.

De Plantis cum Calice externo & interno, floribus bipetalis aut tripetalis.

Flore bipetalo.

Circæa.

CIrcæa Lutetiana. Lob. Icon. Calix bipetalos, reflexus, rubeſcens; flos etiam bipetalos, albo-roſeus, bifidus ſupra capſulam pilis exaſperatam; duo ſtamina alba & apices purpurei, cum ſtylo; quænam eſt ſimilitudo floris Roſei cum flore Circææ judicent oculatiores.

Flore tripetalo.

CAPUT PRIMUM.

Polygala.

POlygala acutioribus foliis Monſpeliaca. B. Pin. Calix tria habet folia viridia, unum ſuperius, duo inferiora; flos eſt tripetalos, irregularis; petalum medium tubulus eſt, cujus pars ſuperior eſt Galeata, inferior diviſa, ſupra capſulam videntur plura foliola; alia duo petala pulchrè cærulea, longa & lata ambiunt veluti alæ petalum medium, & quamvis deindè capſulæ adhæreant, ideò inter Calicis partes numerari non debent, cum Calix ſit trifolius, multum ab illis petalis diſtinctus:

tus : dicamus quod floris naturam non cognoſcit, qui hæc duo petala inter Calicis partes reponit.

CAPUT SECUNDUM.

Ephemero-Phalangium.

EPhemerum Virginianum, flore cæruleo majore. Inſt. R. Herb. Phalangium Virginianum, amplo flore cæruleo. Moriſſ. ex utroque nomine unum fecimus, ut diſtinguatur ab aliis Ephemeris & Phalangiis. Calix tria habet folia viridia, lata, acuta, piloſa; flores plures ſimul, unuſquiſque tripetalos, purpuro-violaceus, longis pediculis nutantibus, purpuraſcentibus inſidens; ſex ſtamina purpuraſcentia, villis quaſi plumoſa; apices lutei tranſverſim poſiti, in medio diviſi; ſtylus cum puncto luteo.

LIBRI TERTII
PARS TERTIA.

De plantis cum Calice externo & interno, flore tetrapetalo.

DIvidetur iſta pars in duas Sectiones. Prima earum quæ fructum aut capſulam habent: Secunda earum quæ ſunt ſiliquoſæ. Prima Sectio plures habebit partes: Prima earum quæ fructum habent mollem: ſecunda quæ ſunt multicapſulares: Tertia quæ ſepto medio ſeparan-

tur: Quarta quæ ſepto medio valvis parallelo diſtinguntur: Quinta & ultima unicapſularium.

Secunda Sectio erit de plantis ſiliquoſis, tetrapetalis, & primo quæ ſiliquam habent bicapſularem: ſecundo quæ ſiliquam habent articulatam: tertio quæ habent unicapſularem: quarto quarum flos eſt ſupra ſiliquam.

PARTIS TERTIÆ SECTIO Iª.

SECTIONIS PRIMÆ PARS. Iª.

Plantæ tetrapetalæ, fructu molli.

Herba Paris.

HErba Paris. Dod. Calix quatuor habet folia viridia, longa, anguſta & acuta, inter unumquodque folium aliud eſt anguſtum & acutum; flos tetrapetalos albeſcens; quatuor ſtamina & apices; fructus niger, mollis, veluti cum umbilico in medio partis ſuperioris.

SECTIONIS PRIMÆ PARS IIª.

Plantæ tetrapetalæ, multicapſulares, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Papaver.

PApaver hortenſe nigro ſemine, Sylveſtre Dioſcoridis. B.Pin. Calix duo habet folia lata, quæ dum flos aperitur decidunt; flos albo-roſeus, variegatus, fundo purpuraſcente, tetrapetalos; petali ampli, in medio caput eſt magnum, ſubrotundum cum operculo decem plus

aut minus ſtriis elevatis æqualiter diſtantibus coronato, quæ tot cellulas denotant, circa quod numeroſa ſunt ſtamina alba, & apices albeſcentes, recti, ſtriati.

Papaver Erraticum rubrum campeſtre. I B. vulgò Papaver Rhæas. Calix viridis, hirſutus, bifolius, qui decidit dum flos ſe explicat; flos peramplus, tetrapetalos, punicei coloris, unguibus purpuraſcentibus; plurima ſtamina capitulum obvallant obſcurè-purpurea cum apicibus concoloribus; capitulum oblongum, glabrum cum operculo in decem aut duodecim radios diviſo; ſuntque totidem cellulæ in quibus ſemen: multò melius debet dici Papaver flos tetrapetalos quam roſaceus, cum rarò plura habeat petala.

Papaver Spinoſum. B. Pin. Calix bifolius; flos luteus hexapetalos; plurima ſtamina & apices capitulum oblongum involvunt, quod ſex utplurimum habet angulos cum ſpinulis, in ſummo coronam in ſex radios obſcurè-purpureos diviſam, quæ grandiori factâ capſulâ decidit; totum capitulum frequentibus ſpinis eſt armatum, in ſummo craſſioribus. Non illi pro petalorum numero nomen mutandum arbitrati ſumus, cum in aliis Papaver eſſe ſe prodat.

CAPUT SECUNDUM.

Capparis.

CApparis ſpinoſa, folio rotundo, fructu minore. B.Pin Calix eſt quadrifolius; flos tetrapetalos, petalis magnis, albis cum levi purpurâ; plurima ſtamina alba, longa, in ſummo purpuraſcentia ut & apices; ſtylus longus ſupra fructum quem nobis videre non licuit, & fortè non eſt multicapſularis.

CAPUT TERTIUM.

Ruta.

RUta hortenſis latifolia. B. Pin. Calix in quatuor partes diviſus, parvas, acutas; flos tetrapetalos, luteus, petalis longis, fimbriatis, in ſummitate cochleatis; octo habet ſtamina & apices luteos; caput aſperum & inæquale cum quatuor corniculis. Calix circa capſulam ſiccatur: cum quatuor ut plurimum habeat petala, cur non reducitur potius ad flores tetrapetalos quam ad roſaceos.

Ruta Sylveſtris minor. B. Pin. petala anguſtiora, quaſi clauſa, pilis magis fimbriata, in cæteris eodem modo.

CAPUT QUARTUM.

Erucago.

ERucago Segetum. Inſt. R. Herb. Eruca Monſpeliaca, ſiliquâ quadragulâ echinatâ. B. Pin. Calix quadrifolius; flos ſimiliter tetrapetalos, luteus, cordatus, cum ſtaminibus, apicibus & ſtylo, ſupra fructum quadrangularem, alatum, per maturitatem durum.

SECTIONIS PRIMÆ PARS. III[a].

Plantæ tetrapetalæ, capſulâ ſepto medio perpendiculari diviſâ.

CAPUT PRIMUM.

Thlaſpi

THlaſpi Villoſum, capſulis hirſutis. B. Pin. Calix quadrifolius, viridis, villoſus flores in ſpicam producit albos, tetrapetalos, majores quam in vulgari;

ſtamina & apices albi; ſiliquæ hirſutæ, planæ, cordatæ, cum parvo ſtylo, ſepto intermedio ad perpendiculum poſito.

Thlaſpi Arvenſe, perfoliatum majus. B. Pin. Calix quadrifolius; flos albus, tetrapetalos, cum ſtaminibus & apicibus luteis; capſula lata, cordiformis cum apiculâ.

CAPUT SECUNDUM.

Pſeudo-Thlaſpi.

THlaſpi Creticum quibusdam, flore rubente & albo. I B. Calix quatuor habet parva foliola; flos tetrapetalos, irregularis; duo petala ſuperiora longa, duo inferiora multò breviora: unde non debet dici cruciformis; quatuor ſtamina breviora; apices lutei; capſula cordiformis cum apiculâ. Rectè ſeparatur a Thlaſpi vulgari, tum quià florem habet irregularem, tum quià flores ſunt veluti in umbellam diſpoſiti.

Thlaſpi Umbellatum, Naſturtii folio Monſpeliacum. B. Pin. Calix quadrifolius albo-purpuraſcens; flos tetrapetalos, albus, irregularis, qui deindè purpuraſcit; quatuor ſtamina; apices albi; capſula eodem modo quo Creticum.

CAPUT TERTIUM.

Naſturtium.

NAſturtium hortenſe vulgatum. B. Pin. Calix quadrifolius, viridis; flos parvus, albus, tetrapetalos, cum ſtaminibus, apicibus luteis; capſula ſepto medio perpendiculari ſeparata.

Naſturtium Peregrinum perfoliatum. Thlaſpi vero di Dioſc. primo. Zanon. flos eodem modo ad luteum parum declinans.

CAPUT QUARTUM.

Cochlearia.

COchlearia folio ſinuato. B. Pin, Calix viridis, quadrifolius; flos albus, tetrapetalos; ſex ſtamina vireſcentia; apices lutei; ſtylus ſupra capſulam in medio ſeparatam.

Cochlearia Perennis, ſaxatilis minima. H. R. Monſp. Thlaſpi Alpinum minus, capitulo rotundo. B. Pin. Calix, flores, ſtamina, apices, & capſulæ eodem modo.

CAPUT QUINTUM.

Lepidium.

LEpidium latifolium. B. Pin. Calix viridis, quadrifolius: flos tetrapetalos, albus; ſtamina alba & apices lutei; ſtylo in ſummo craſſo ſupra capſulam in medio diviſam.

Lepidium Incanum Arvenſe. Inſt. R. Herb. Draba umbellata, vel major capitulis donata. B. Pin. Calix quadrifolius; flos umbellæ modo tetrapetalos; petali albi, rotundi; ſtamina & apices albi; ſtylo brevi ſupra capſulam rotundam & compreſſam.

Lepidium anguſtifolium. Iberis latiore folio. B.Pin. Calix quadrifolius, viridis; flos tetrapetalos, parvus, albus; ſtamina alba; apices lutei.

CAPUT SEXTUM.

Burſa Paſtoris.

BUrſa Paſtoris major, folio ſinuato. B. Pin. Calix parvus, quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, petalis rotundis; brevia ſtamina & apices albi; capſula

plana, Crumenam Paſtoriam referens cum ſepto medio.

Burſa Paſtoris minima, foliis tantum circa radicem. Naſturtium minimum vernum, foliis tantum circa radicem. Bot. Monſp. quia capſulam habet Burſæ Paſtoris, hìc potiùs debet referri.

SECTIONIS PRIMÆ PARS. IVa.

Plantæ tetrapetalæ, ſeminibus membranulâ internâ valvis exterioribus parallelâ, ſeparatis.

CAPUT PRIMUM.

Alyſſon.

ALyſſon fruticoſum Incanum. Inſt. R. Herb. Thlaſpi Incanum Mechlinienſe. Lob. Calix quatuor habet folia albicantia; flos tetrapetalos, albus, petali profundè bifidi; ſtamina & apices albi; ſtylo ſupra capſulam membranâ lucidâ valvulas diſterminante.

Alyſſon Maritimum. Inſt. R. Herb. Thlaſpi Alyſſon dictum Maritimum. B. Pin. Calix viridis, quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, petalis ferè rotundis; ſex ſtaſtamina alba & apices lutei; ſtylus brevis ſupra capſulam planam.

CAPUT SECUNDUM.

Lunaria.

LUnaria major, ſiliquâ rotundiore. I B. vulgò Viola Bulbonahc. Calix quadrifolius, e viridi-purpuraſcens; flos Leucoii purpuraſcens, tetrapetalos, cum lineis obſcurioribus; quatuor habet ſtamina alba; apices ex vi-

ridi-luteſcentes ; ſtylus ſupra capſulam latam , ſubrotundam , compreſſam.

CAPUT TERTIUM.

Thlaſpidium.

THlaſpidium Monſpelienſe , Hieracii folio hirſuto. Iuſt. R. Herb. vulgò Thlaſpi biſcutatum. Calix quadrifolius ; flos tetrapetalos , luteus ; ſtamina alba & apices lutei ; capſulæ rotundæ, foliaceæ, dydimæ ; apice in medio duorum ſcutorum.

Thlaſpidium hirſutum , Calice floris auriculato. Inſt. R. Herb. Leucoium Montanum , flore pedato. Colum. Calix quadrifolius ; flos tetrapetalos, luteus , cujus duo petala oppoſita habent parvum calcar , duo alia anguſtiora : unde debet potius dici flore auriculato ; ſtamina, apices , ſtylum in ſummo craſſiorem.

SECTIONIS PRIMÆ PARS. V^a^.

Plantæ tetrapetalæ unicapſulares.

CAPUT PRIMUM.

Rapiſtrum.

RApiſtrum Orientale , Acanthi-folio. Inſt. R. Herb. Calix quatuor habet parva folia ; flos albus , tetrapetalos ; bina petala ex utrâque parte oppoſita & non cruciformia , lata , obtuſa : quatuor ſtamina alba ; apices lutei ; ſtylus ſupra capſulam rotundam , parvam , unicapſularem.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Iſatis.

ISatis ſativa, vel latifolia. B. Pin. Calix quatuor habet folia ejuſdem ferè longitudinis ac petala; flos luteus, tetrapetalos; octo ſtamina; apices lutei; capſula longa, unicapſularis, quamvis ſecundum longitudinem appareat diviſa.

SECTIO SECUNDA.

De Plantis tetrapetalis ſiliquoſis.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS Ia.

De iis quæ ſiliquam habent capſularem.

CAPUT PRIMUM.

Braſſica.

BRaſſica viridis. B. Pin. Calix quadrifolius, viridis; flos luteus, tetrapetalos; ſex ſtamina cum apicibus luteis; ſiliquæ longæ, teretes, ſepto medio cui valvæ adhærent in duo loculamenta diviſæ.

CAPUT SECUNDUM.

Leucoium.

LEucoium Incanum majus. B. Pin. Calix longus, quadrifolius; flores tetrapetali, quorum alii roſei, alii purpurei aut mixti; quatuor ſtamina longa & duo lateralia breviora; apices lutei, recti, bre ves; ſiliquæ longæ, compreſſæ cum ſepto medio.

CAPUT TERTIUM.

Heſperis.

HEſperis hortenſis. B. Pin. Viola Matronalis. Dod. Calix quadrifolius; flores tetrapetali, coloris nunc albi, nunc purpurei aut varii, cum ſtaminibus & apicbus; ſiliquæ longæ, teretes, membranâ intergerinâ diſſeptæ.

Heſperis Sylveſtris, flore parvo B. Prodr. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, albo-roſeo mixtus; ſex ſtamina, quatuor longiora, duo breviora; ſiliqua longa.

Heſperis quorumdam. Lugd. Leucoium Marinum alterum latifolium. Lob. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, cæruleo-purpureus; ſex ſtamina cum apicibus luteis; ſiliquæ longæ:ob ſiliquarum diſpoſitionem meliùs ad Heſperides refertur quam ad Turritidem & quam ad Leucoium.

CAPUT QUARTUM.

Turritis.

TUrritis vulgatior. I B. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, petalis longis; ſex ſtamina, quatuor longiora, duo breviora; apices lutei; ſiliquæ longæ, ſurrectæ, cauli in ſpicam veluti appreſſæ, pediculis inſidentes: undè facile a cæteris tetrapetalis diſtinguitur.

Turritis minor. Bot. Monſp. Barbarea muralis. I B. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, petalis retuſis; ſtamina & apices eodem modo; ſiliquæ etiam juxta caulem rectæ.

Turritis vulgaris ramoſa. Inſt. R. Herb. Burſæ Paſtotoris ſimilis, ſiliquoſa major. B. Pin. Calix & cæteræ floris

partes eodem ferè modo ſe habent, ſed ſiliquarum diſpoſitio vetat ad Turritidem referre: undè vel alibi collocanda, vel novum genus inſtituendum.

CAPUT QUINTUM.

Cardamine.

CArdamine quarta. Dalech. Lugd. Calix quadrifolius; flos parvus, albus, tetrapetalos, cum ſtaminibus albis, apicibus luteis, cum ſiliquis quæ vel minimo tactu diſſiliunt.

CAPUT SEXTUM.

Siſymbrium.

SIſymbrium Cardamine, ſivè Naſturtium Aquaticum. I B. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, cum ſtaminibus albis & apicibus luteis; ſiliquæ non nihil reflexæ.

CAPUT SEPTIMUM.

Dentaria.

DEntaria Pentaphyllos. B. Pin. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, purpuraſcens, cum ſtaminibus & apicibus; ſiliquæ tactæ diſſiliunt & ſemen effundunt ut ſiliquæ Cardamines.

CAPUT OCTAVUM.

Eruca.

ERuca latifolia alba, ſativa Dioſcoridis. B. Pin. Calix quatuor habet folia viridia, longa; flos tetrapetalos, petalis longis, albis, plurimis lineis obſcurè-purpureis virgatus; ſex ſtamina longa & brevia, alba; apices lutei, recti; ſiliqua in medio.

Eruca tenuifolia perennis, luteo flore. I B. flores ha-

bet eodem modo quo Sativa ſed luteos, ſiliquas etiam longiores.

CAPUT NONUM.

Sinapi.

SInapi album ſiliquâ hirſutâ, ſemine albo. I B. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, luteus, petali cochlearis formâ; ſex ſtamina, quatuor longiora, duo breviora; apices lutei; ſiliqua hirſuta, ſeminibus protuberantibus quodammodo nodoſa, in latum mucronem deſinens.

Sinapi Rapi folio. B. Pin. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, luteus; ſtamina & apices eodem modo quo ſuperius; ſiliquæ breves cauli appreſſæ, & ferè quadrangulæ, ut dicit Raius ex Johnſon.

CAPUT DECIMUM.

Eryſimum.

ERyſimum vulgare. B. Pin. Calix quadrifolius: flos tetrapetalos, luteus, petali parvi, anguſti; apices recti, lutei ſupra ſtamina; ſiliquæ ſupra breve pediculum, breves, rotundæ, rectæ, cauli veluti appreſſæ.

Eryſimum. Sivè Rapiſtrum arvorum. Lob. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, luteus, petali rotundi, parum marginati; ſtamina & apices eodem ac in aliis modo; ſiliquæ ſupra breve pediculum, breves, rectæ & cauli appreſſæ.

CAPUT UNDECIMUM.

Napus.

NApus ſativa, radice albâ. B. Pin. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, luteus; ſex ſtamina, quatuor

longiora, duo breviora; apices lutei, ſulcati; ſiliquæ longæ, in duo loculamenta diviſæ ſepto medio.

CAPUT DUODECIMUM.

Rapa.

RApa ſativa oblonga. B. Pin. totâ facie Napum refert, ideò inutile eſſet ejus florem deſcribere, ſed tamen propter vulgarem uſum ſeparanda.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Papaver corniculatum.

PApaver Corniculatum luteum. B. Pin. Calix duo habet folia ut Papaver hortenſe, quæ ſtatim decidunt; flos quatuor habet petala lutea, magna, numeroſa; ſtamina & apices luteos; ſiliqua longa eſt: melius putavimus antiquum & cognitum illi nomen relinquere, quam incognitum innovare, cum verè Papaver ſit, & flos tetrapetalos non roſaceus.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS IIa.

De Plantis tetrapetalis quæ ſiliquam habent articulatam, flore regulari.

CAPUT PRIMUM.

Raphanus.

RAphanus minor oblongus. B. Pin. Calix quatuor habet folia viridia, longa; flos tetrapetalos, purpuraſcens; ſtamina quorum duo breviora alba; apices lutei, recti; ſiliquæ breves, craſſæ, ſpongioſæ in loculos, ut inquit. I B. tuberoſos convallibus interceptos dictinctæ.

CAPUT SECUNDUM.

Raphaniſtrum.

RAphaniſtrum flore albo ſtriato, ſiliquâ articulatâ. Moriſſ. Calix quatuor habet folia longa, purpuraſcentia; flos tetrapetalos, albus, petalis ſubrotundis, ſtriis obſcurè-purpureis variegatus; ſtamina alba ut in aliis; apices lutei, recti; ſiliquæ nodis caudæ Scorpionis inſtar diviſæ.

Raphàniſtrum ſegetum, flore luteo vel pallido. Inſt. R. Herb. Calix quatuor habet folia quæ dehiſcunt; flos tetrapetalos, luteus, aut pallidè-luteus; ſtamina & apices eodem modo; ſiliquæ pariter articulatæ.

Flore irregulari.

CAPUT TERTIUM.

Hypecoon.

HYpecoon ſiliquoſum. I B. Calix quatuor habet angulos; flos tetrapetalos, luteus, irregularis; duo petala exteriora majora, unumquodque tricuſpidatum, cuſpide mediâ longiore, lineâ mediâ viridi; alia duo petala in tres partes profundè diviſa, mediâ anguſtiore; quatuor ſtamina & apices recti: non poteſt dici flos cruciformis ob floris irregularitatem; ſiliqua eſt plana, articulata, falcis inſtar incurva.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS IIIa.

Plantæ cum ſiliquâ unicapſulari.

CAPUT PRIMUM.

Chelidonium.

CHelidonium majus vulgare. B. Pin. Calix duo habet folia acuta, ut Papaver cui affinis videtur, quæ ſtatim decidunt; flos tetrapetalos, luteus, cum plurimis ſtaminibus & apicibus ejuſdem coloris; ſiliquæ longæ, non diſſeptæ.

CAPUT SECUNDUM.

Sinapiſtrum.

SInapiſtrum triphyllum Indicum, flore carneo, non ſpinoſum. H. L. Bat. Calix quadrifolius; flos tetrapetalos, albus, cochleariformis; in medio eſt ſiliqua longa & ſex ſtamina longa, circulariter diſpoſita, purpuraſcentia cum apicibus ejuſdem coloris.

SECTIONIS SECUNDÆ PARS IVa.

De plantis tetrapelalis, flore ſupra ſiliquam.

CAPUT PRIMUM.

Chamenærium.

CHamenærium latifolium vulgare. Inſt. R. Herb. vulgò Lyſimachia ſiliquoſa. Calix ſupra ſiliquam poſitus quatuor habet folia purpuraſcentia; flos tetrapetalos; petali magni, purpurei, bifidi; octo ſtamina longa, cum apicibus purpuraſcentibus, cum ſtylo in

quatuor partes albas reflexas diviſo ; ſiliqua longa, anguſta ; ſemen pappo involutum.

CAPUT SECUNDUM.

Onagra.

ONagra latifolia. Inſt. R. Herb. Lyſimachia lutea corniculata. B. Pin. Calix ſupra ſiliquam, quadrifolius ; flos magnus, luteus, tetrapetalos ; octo ſtamina & apices ejuſdem coloris ; ſtylus quatuor habet foliola lutea ; ſemina in ſiliquis non ſunt papposa.

LIBRI TERTII PARS QUARTA ET ULTIMA.

De Plantis cum Calice externo & interno, floribus polypetalis.

PArs iſta ultima in plures Sectiones dividetur : Prima erit de plantis flore polypetalo regulari, quæ fructum aut capſulam habent rotundam vel oblongam, non habitâ ratione numeri cellularum, ne ſeparentur quæ conjuncta eſſe debent : Secunda de plantis quæ capſulam habent echinatam cum corniculis, aut caudatam : Tertia de Plantis polypetalis irregularibus : Quarta de polypetalis irregularibus Leguminoſis dictis, quæ in varias etiam partes dividetur, quarum prima erit earum quæ plura habent folia unicoſtæ utrinquè adnata, & ſiliquam habent brevem, longam aut articulatam : Secunda illarum quæ tria habent folia, trifolia dicta. Sectio

SECTIO PRIMA.

De plantis flore polypetalo, regulari fructu, capſulâ rotundâ aut longâ.

CAPUT PRIMUM.

Nymphæa.

NYmphæa alba major. B. Pin. Calix quinque habet folia, exteriùs viridia, intùs alba; flos plurima habet folia alba, longa, lata, exteriora longiora, interiora breviora; plura ſtamina lata cum apicibus luteis, rectis; circa capſulam eſt corona breviorum ſtaminum alborum, cum apicibus luteis; capſula magna, rotunda.

Nymphæa lutea major. B. Pin. Calix quinque habet folia prope pediculum viridia, in ſummo lutea; flos plura habet petala lutea, brevia, ſtriata, coronæ inſtar diſpoſita; plura ſtamina lutea, lata, pulverulenta, reflexa; caput Papaveris coronatum cum radiis æquali ſpatio diſpoſitis.

Nymphæa lutea minor, flore fimbriato. B. Pin. Calix quinque habet folia viridia, longa, acuta; flos luteus, pentapetalos; petali longi, anguſti, pulchrè fimbriati: quod plura ſint petala ex eo facilè liquet quod ſeparatim decidunt; cuilibet petalo adhæret breve ſtamen cum apice recto, figuræ ferri equini, limbo luteo; ſtylus ſupra capſulam oblongam, quæ in partes irregulares aperitur: totus plantæ habitus Nymphæam eſſe declarat.

CAPUT SECUNDUM.

Chriſogonum.

CHryſogonum Dioſcoridis. Rauvolf. Calix quatuor habet folia variæ magnitudinis, in ambitu rubentia & quæ citò decidunt; flos luteus, hexapetalos; quinque vel ſex ſtamina brevia cum apicibus rectis, luteis, craſſis, in ſummo diviſis, quæ ambiunt capſulam quaſi coronatam.

CAPUT TERTIUM.

Granadilla.

GRanadilla pentaphylla, flore purpuro-cæruleo. Clematis paſſiflora pentaphylla, flore cæruleo punctato. Munting. Calix quatuor habet folia lata, longa, viridi-lutea; flos decem habet petala longa, lata, parte ſuperiore albeſcentia, quinque exteriora duo habent in extremitate parva filamenta veluti duo cornua, ſupra quæ corona longorum filamentorum ſtrata eſt, in quâ tres videntur circuli diverſis coloribus diſtincti, primus circulus prope pediculum coloris eſt purpurei, medius albi, extremus cærulei; alia præterea eſt corona brevium ſtaminum albicantium, cum apicibus obſcurè-purpureis; alia denique juxta ſtylum qui fructum ſuſtinet, ex ſtaminibus purpureis verſus ſtylum inclinatis, quæ membranâ involvitur, deſinens in quinque ſtamina lata, craſſa, luteo-viridia, cum craſſis apicibus tranſverſim poſitis, ſuprâ viridibus, infrâ luteis, qui rotæ in modum circumgirantur; ſupra fructum tres ſunt ſtyli capitati, quos clavos vocant, in triangulum poſiti, obſcurè-purpurei; fructus ovatus, luteus; ſemina in fructu

oblongo, oblonga, plana, verrucoſa, Caſtanei coloris.

CAPUT QUARTUM.

Ciſtus.

CIſtus Ladanifera Monſpelienſium. B.Pin. Calix pentaphyllos, tria folia exteriora latiora, duo interiora anguſtiora; flores pentapetali, albi, parum fimbriati; plurima ſtamina cum apicibus luteis; capſula oblonga multicapſularis.

Ciſtus Plantaginis folio minor. Bot. Monſp. Calix quinquefolius; flos luteus, pentapetalos.

CAPUT QUINTUM.

Chamæciſtus.

CHamæciſtus vulgaris,flore luteo. B.Pin.Heliantemum vulgare, flore luteo. I B. Calix trifolius cum plurimis ſtriis; flores lutei ut in Ciſto veluti ſpicati, pentapetali, petalis in ſummitate latioribus & fimbriatis; plura ſtamina cum apicibus luteis circa capſulam ferè rotundam.

CAPUT SEXTUM.

Hypericum.

HYpericum vulgare. B. Pin. Calix quinquefolius; flos luteus, pentapetalos; plura ſtamina & apices lutei circa capſulam oblongam, ſupra quam ſunt tres ſtyli triangulariter diſpoſiti pro numero capſularum.

Hypericum Aſcyrum dictum, caule quadrangulo. I B. Calix brevior eſt; flos eodem modo.

Hypericum fœtidum fruteſcens. Inſt. R. Herb. Androſæmum fœtidum, capitulis longiſſimis filamentis donatis. B. Pin. ſtaminum longitudine ab aliis præcipuè differt.

Hypericum Supinum tomentoſum minus.B.Pin. eodem modo ac vulgare.

Hypericum vel Aſcyrum fruteſcens, magno flore. D. Salvador. Myrtociſtus Pennæi. Cluſ. raram hanc plantam accepimus a Clariſſimo viro. D. Joanne Salvador Medico Barcinonenſi amico colendiſſimo cum hac ſuâ deſcriptione.

Elegantiſſima hæc planta a paucis Botanicis viſa in inſulâ Balearicâ minore, vulgò Minorca, deſcendendo ex monte VirginisMariæ de Tauro verſus portum Fornels, juxta viam ad dexteram, ſub umbroſis a nobis obſervata fuit.

Fruticoſa eſt planta, bicubitalis, & tricubitalis, in plurimos ramulos diviſa cortice rubente obductos, in junioribus ramulis cortex cum plurimis granulis uti reſina mollibus cooperitur, cum verò adoleverint ſimul cum cortice ſæpe decidunt; folia habet bina ex adverſo naſcentia, lucida, parva & acuminata, Myrto minori non valdè ſimilia, ſuperiùs lætè virentia, inferiùs verrucoſa & per limbum undulata; in ramulorum ſummitate flores apparent e brevi pediculo lutei, magni, pentapetali, plurimis ſtaminibus & apicibus luteis prædìti, quorum Calix ſeu perianthium in ſeptem partes dividitur; in medio ſurgit capſula, ſivè fructus pyramidalis, oblongus, quinquecapſularis, in tot filamenta deſinens, glutinoſo ſucco plenus, in quo continentur ſemina parva, fuſca, oblonga; tota planta parum viſcoſa eſt & quaſi odorem Hyperici ſpirat: quamvis autem quinquecapſularis ſit, ab Hyperico tricapſulari ſeparandam non eſſe putavimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Hypericoides.

HYpericoides fruteſcens Bacciferum. Hort.R. Monſp. Androſæmum maximum fruteſcens. B. Pin. Calix, petala, ſtamina & apices ut in Hyperico: præcipua differentia eſt quod Baccam nigram producit.

CAPUT OCTAVUM.

Harmala.

HArmala. Dod. Ruta Sylveſtris, magno flore albo. B. Pin. Calix quinque habet folia viridia, longa, anguſta; flos pentapetalos, albus, petalis longis; decem ſtamina alba; apices lutei; capſula triangularis cum ſepto medio.

CAPUT NONUM.

Parnaſſia.

PArnaſſia, Inſt. R. Herb. Gramen Parnaſſi, albo ſimplici flore. B.Pin. hanc ex memoriâ deſcribimus, cum non habeamus præ manibus. Calicem habet pentaphyllum; flos decem habet petala alba, ſpecioſa, quinque majora, quinque minora, apices luteos, capſulam conicam.

CAPUT DECIMUM.

Linum.

LInum ſativum. B. Pin. Calix quinque habet folia acuta; flos amplus, pentapetalos, cæruleus, ſtriatus; quinque ſtamina alba; apices cærulei, recti; ſtylus ſupra capſulam rotundam, ſtriatam, in quinque partes diviſus.

Linum Sylveſtre luteum, folio ſubrotundo. B. Pin.

Campanula lutea, Linifolia montis Lupi. Lob. Calix quinque habet folia anguſta; flos amplus, luteus, pentapetalos; quinque ſtamina & apices lutei; ſtylus ſupra Calicem quinquefidus.

Linum Pratenſe, floribus exiguis. B. Pin. Calix quinquefolius; flos albus, pentapetalos; quinque ſtamina alba & apices lutei.

CAPUT UNDECIMUM.

Lyſimachium.

LYſimachium purpureum. Geſn. Lyſimachia ſpicata purpurea. B. Pin. Calix in ſex partes acutas terminatur; flos hexapetalos, purpureus, petalis calici adhærentibus; ſex ſtamina in radice albâ, in ſummo purpurea; apices purpurei, ſex alia minora alba; ſtylus in ſummo craſſus; capſula eſt ovata.

CAPUT DUODECIMUM.

Amaranthus.

AMaranthus paniculâ ſimplici. B. Pin. Calix quinque habet folia acuta, pallidè-Amaranthina; flos pentapetalos pulchrè Amaranthinus, limbis albis; quinque ſtamina & apices ejuſdem coloris cum ſtylo; capſula horizontaliter aperitur.

Amaranthus maximus, paniculâ longâ pendulâ, ſemine rubello. Raii. Calix quinquefolius, purpureus; flos pentapetalos, albo-purpureus; ſtamina purpurea; apices lutei cum circulo rubro in ſemine.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Amaranthoides.

AMaranthoides. Inſt. R. Herb. Amarantho affinis, altera ſpecies, ſivè flore purpureo. Breyn. nihil habet Amaranthi niſi colorem. Plura capita producit ſubrotunda florum densè agglomeratorum; quodlibet capitulum duo folia lata, Lychnidea ſuppoſita habet; in parte exteriori cujuſlibet floris Calix eſt externus, e quibuſdam parvis foliis anguſtis, albis, cuſpidatis, cum lineâ Amaranthinâ in medio; cingunt floſculum duæ ſquamæ ſivè petala imbricata, cancrorum chelarum æmula, Amaranthina, quæ duo cornua diceres; floſculus vel tubulus longus eſt, anguſtus, in baſi albus, craſſus, in quinque partes Amaranthinas in ſummitate parum diviſus, candidâ lanugine veluti Goſſipio obvolutus, in quo ſemen continetur parvum, rotundum, rubeſcens: quidam pro ſemine capſulam ſivè tubulum habuerunt.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Thelephium.

THelephium Dioſcoridis. Imperat. flores veluti in capitulum congeſti; Calix videtur quinquefolius; flos pentapetalos, albus; quinque ſtamina & apices ſtriati; ſtylus apicatus, ſupra capſulam trigonam.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Caryophillus.

CAryophillus hortenſis ſimplex, flore majore. B. Pin. duplicem habet Calicem externum, prior brevis e quibuſdam ſquamis parvis compoſitus, alter longus

in ſummitate parum in quinque partes diviſus; flos variorum colorum, pentapetalos, petalis in ſummo latis, fimbriatis; decem ſtamina; ſtyli duo ſupra capſulam longam. Multo melius dici deberet flos roſaceus, cum roſæ petalorum diſpoſitionem habeat, non habitâ ratione Calicis.

Caryophillus Sylveſtris vulgatiſſimus, ſivè Betonica coronaria. I B. Calices ſunt eodem modo, ſtamina & ſtyli; flos ruber.

Caryophillus minimus muralis. B. Pin. Calix albo-viridis in imâ parte alium habet; flos pentapetalos, parvus, albo-roſeus, petalis bifidis, in reliquis eodem modo.

Caryophillus barbatus hortenſis, latifolius ruber. B. Pin. Flos armerius multis. Flores multi ſimul in umbellæ formam juncti, unuſquiſque flos Calicem habet longum, in quinque partes diviſum, cum alio parvo Calice; e parvis foliolis longis & anguſtis veluti ſquamatum; flos pentapetalos, petali parum fimbriati; decem ſtamina & apices breves; ſtylus ſupra capſulam longam.

Caryophillus Sylveſtris prolifer. B. Pin. Betonica coronaria ſquamoſa. I B. Calix ſquamoſus, plures continet flores, quorum unuſquiſque Calicem habet proprium, in quinque partes diviſum; flos pentapetalos, purpuraſcens; decem ſtamina cum duplici ſtylo; capſula longa in qua continentur ſemina nigra, unâ parte concava, aliâ convexa.

CAPUT

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Aphyllantes.

APhyllantes Monſpelienſium. I. B. Caryophillus Monſpelienſium cæruleus. B. Pin. calix longus, parum in quinque partes diviſus, in imo duo habet folia veluti duas ſquamas; flos pentapetalos vel in quinque partes diviſus, cæruleus, cum lineâ obſcuriori in medio; ſtamina alba petalis adnata; apices cærulei; ſtylus longus, in quinque partes diviſus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Lychnis.

LYchnidis & Alſines flores adeò ſunt ſimiles, ut pro quadam in calice differentiâ non deberent in diverſis claſſibus collocari, præcipuè dum caracter a flore deſumitur. Poſſet etiam utrarumque duplex caput inſtitui, earum ſcilicet quæ petala habent bifida, & earum quæ petala habent non bifida.

Lychnis petalis bifidis.

LYchnis hirſuta, flore Coccineo major. B. Pin. flos Conſtantinopolitanus. Dod. calix in quinque partes acutas dividitur; flos pentapetalos, petali bifidi, intùs alia ſunt quinque foliola etiam bifida; decem ſtamina, quinque longiora, quinque breviora, cum ſtylis ſupra capſulam oblongam.

Lychnis ſylveſtris, alba, ſimplex. B. Pin. Calix villoſus, Canaliculatus; flos pentapetalos albus, petalis bifidis; circa floris centrum quædam corona cernitur; quinque ſtamina alba petalis adhærentia, quinque alia oblonga circa capſulam & apices lutei.

Lychnis Montana alba, viſcoſa, latifolia. B. Pin. Calix, flos & ſtamina eodem modo, tres etiam ſtyli ſupra capſulam.

Lychnis Auriculæ Urſi facie. B. Pin. &c.

Lychnis fruteſcens Myrtifolia, Been albo ſimilis. B. Pin. eodem modo.

Lychnis ſylveſtris, quæ Been album vulgò. B. Pin. Calix utriculi inſtar laxus, in medio amplus, in ore anguſtus, parum in quinque partes diviſus; flos pentapetalos albus, profundè bifidus; quinque ſtamina brevia petalis adnata, quinque alia longiora placentæ circa capſulam, cum apicibus longis, rectis.

Lychnis maritima repens. B. Pin. Marina Anglica. Lob. calix albus, longus, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos albus, petalis profundè diviſis; plura ſtamina cum apicibus luteis & ſtylis ſupra capſulam.

Lychnis ſylveſtris, quæ Saponaria vulgò. Inſt. R. Herb. Saponaria major lævis. B. Pin. Calix longus, glaber, in quinque partes parum diviſus; flos roſeus pentapetalos, parum bifidus; decem parva ſtamina & apices; duplex ſtylus ſupra capſulam.

Lychnis ſeu Saponaria concava Anglica. Calix amplus & laxus, in ore parum in quinque partes diviſus; flos dimidiatus roſeus, veluti pars floris fimbriata; ſtamina longa; apices parvi; duo ſtyli ſupra capſulam.

Lychnis viſcoſa purpurea, latifolia lævis. B. Pin. Calix longus, rubeſcens, cum ſtriis obſcurioribus, parum in quinque partes diviſus; flos pentapetalos purpureus veluti in umbellâ, petalis bifidis; decem ſtamina & api-

ces ejuſdem coloris ; ſtylus ſupra capſulam.

Lychnis viſcoſa rubra, anguſtifolia. B. Pin. Calix longus, albo-viridis, cum ſtriis purpureis, parum in quinque partes diviſus ; flos pentapetalos purpureus, petalis bifidis : in ore floris habet aliud parvum petalum bifidum ; decem ſtamina & apices quinque ſtylos purpureos in ſummo craſſiores ſupra capſulam.

Lychnis pratenſis, flore laciniato ſimplici. Moriſſ. vulgò Flos cuculi. Calix ſtriatus purpuraſcens, in quinque partes parum diviſus ; flos roſeus pentapetalos, petalis in quatuor partes diviſis, cum parvis petalis in ore floris ; decem ſtamina & apices purpurei ; quinque ſtyli ſupra capſulam.

Lychnis Calice duriore. Bocc. petala habet etiam bifida.

Lychnis petalis non bifidis.

Lychnis coronaria, ſativa Dioſc. B. Pin. Calix villoſus, longus, cum quinque ſtriis eminentibus, aliis quinque minoribus interjectis ; flos pentapetalos variorum colorum, petala ſubrotunda ad umbilicum duos proceſſus emittunt denticulatos ; quinque ſtamina flori adnata, cum totidem apicibus.

Lychnis ſegetum major. B. Pin. Pſeudomelanthium. I B. Calix facilè ab aliis illam diſtinguit, cujus quinque diviſuræ villoſæ, longæ florem ferè occultant ; flos pentapetalos purpureus, cum tribus ſtriis obſcurioribus ; ſtamina & apices, cum quinque ſtylis ſupra capſulam.

Lychnis viſcoſa, flore muſcoſo major. B. Pin. Calix parum in quinque partes diviſus ; flos pentapetalos viridis, petalis anguſtis, longis ; decem ſtamina viridia ;

apices luteſcentes ; ſtylus ſupra calicem.

Lychnis Hiſpanica , Valerianæ rubræ folio. Inſt. R. Herb. Calix longus , lineis viridibus ſtriatus , parum in quinque partes diviſus ; flos pentapetalos , albus , non diviſus ; plurima ſtamina , apices & ſtylos habet.

Lychnis Hiſpanica , Kali folio. Inſt. R. Herb. Calix in quinque partes diviſus ; flos pentapetalos albus ; decem ſtamina & apices , ſtylis ſupra capſulam.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Cucubalus.

CUcubalus Plinii. Lugd. Alſine ſcandens , baccifera. B. Pin. Calix turgidus , in quinque partes reflexas diviſus ; flos albo-viridis pentapetalos , fimbriatus ; cuilibet petalo annexum eſt breve ſtamen cum apice albo ; alia ſtamina , apices & ſtyli ut in aliis Lychnidis ſpeciebus , a quibus præcipuè Baccâ nigrâ diſtinguitur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Alſine petalis bifidis.

ALſine alia eſt petalis bifidis , alia integris pentapetala , alia verò tetrapetala , quæ tamen uno eodemque capite deſcribentur : unde patet parvam in floribus differentiam diverſa genera non debere conſtituere , cum unus eſt Plantæ habitus.

Alſine media. B. Pin. Calix qui non decidit , ad pediculum uſque in quinque folia diviſus , villoſus ; flos pentapetalos , albus , petali profundè bifidi ; quinque brevia ſtamina & apices lutei ; capſula oblonga quæ in quinque partes aperitur.

Alſine pratenſis , gramineo folio ampliore. Inſt. R.

Herb. Caryophyllus arvenſis, glaber, flore majore. B. Pin. Calix viridis eodem modo; flos albus pentapetalos, petalis profundè diviſis; decem ſtamina alba; apices purpurei; tres ſtyli albi ſupra capſulam.

Alſine hirſuta, Myoſotis. Ad. Calix eodem modo quo media diviſus; flos pentapetalos, albus, petalis profundè bifidis; capſula in medio albida, longa, dum aperitur juxta numerum diviſurarum petalorum; quinque ſtamina & apices. Cur pro capſulâ paulò longiore genus innovandum.

Alſine petalis non bifidis.

ALſine minor, multicaulis. B. Pin. Calix quinquefolius, longus; flos albus, pentapetalos non diviſus; quinque ſtamina & apices albi.

Alſine ſaxatilis Laricis folio, flore minore. Inſt. R. Herb. Calix quinque habet folia anguſta & acuta, ad pediculum uſque diviſa; flos albus, longus, pentapetalos, parvus, ideo differt a Caryophyllo ſaxifrago, pulchro flore. Bot. Monſp. quinque ſtamina & apices.

Alſine Ericoides, umbellatis Corymbis. Hort. R. Monſp. Calix quinque habet folia anguſta & acuta; flores veluti in umbellâ albi, pentapetali, calicis diviſuris occultati; ſtamina, apices & ſtylus.

Alſine verna glabra. Bot. Monſp. Calix qui non decidit in quinque partes diviſus; flos albus pentapetalos, cum ſtaminibus & apicibus; brevis ſtylus ſupra capſulam quæ in quinque partes dehiſcit.

Alſine Spergulæ facie; ſivè Spergula minor, floſculo ſub-cæruleo. B. Prodr. Calix quinque habet folia quæ

non decidunt; flos pentapetalos Hyacinthinus; decem ſtamina, apices lutei; tres ſtyli, vel tria ſtamina ſupra capſulam, cum apicibus luteis.

Alſine Spergula marina. Lugd. Calix eodem modo; flos pentapetalos, dilutè-purpureus; ſtamina & apices; capſula in tres partes dehiſcit, & continet ſemina plana, caſtanei coloris, alâ albâ foliaceâ cincta.

Alſine perennis purpuraſcens. Anthyllis perennis ſupina, flore purpuraſcente. Bot. Monſp. Calix longus, ſtriatus, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos purpureus, petalis longis & anguſtis; ſtamina alba & apices lutei; ſemina in capſulâ citò decidunt.

Alſine littoralis, Portulacæ foliis. B. Pin. Calix ad pediculum uſque diviſus; flos pentapetalos albus; decem ſtamina viridia; apices lutei; tres ſtyli ſupra capſulam.

Alſine tetrapetala.

ALſine littoralis graminea Bot. Monſp. Calix quadrifolius; floſculi herbacei, tetrapetali.

CAPUT VIGESIMUM.

Corchorus.

COrchorus, ſivè Melochia. I B. Calix quinque habet folia viridia, acuta; flos luteus, pentapetalos; plura ſtamina & apices luteos, ſtylo in ſummo craſſo, ſupra capſulam ſiliquoſam.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Fabago.

FAbago Belgarum, ſivè Peplus Pariſienſium Lugd. Calix oblongus, viridis, limbis albis, pentaphyllos; flos pen-

tapetalos, miniatus, in ſummo albus, & petali latiores ; decem ſtamina ; apices ejuſdem coloris ; ſtylus longus, ſupra capſulam longam, quinquangularem.

SECTIO SECUNDA.

De Plantis cum Calice externo & interno, polypetalis, ſiliquâ echinatâ, cum corniculis, aut caudatâ.

Siliquâ echinatâ.

CAPUT PRIMUM.

Agrimonia.

AGrimonia, ſeu Eupatorium. I B. Calix veluti cytinus echinatus, in quinque partes ſupra diviſus ; flos pentapetalos, luteus, petalis obtuſis & fimbriatis ; plura ſtamina ; apices lutei ; ſtylus incurvus.

CAPUT SECUNDUM.

Agrimonioides.

AGrimonioides, Colum. Calix veluti cytinus hirſutus, in plures partes anguſtas diviſus ; flos pentapetalos, petalis bifidis ; quinque ſtamina ; apices lutei, & ſtylus.

Capſulis cum corniculis.

CAPUT PRIMUM.

Pæonia.

PÆonia communis, vel fœmina. B. Pin. Calix quinque habet folia viridia, carinata ; flores magni,

purpuro-roſacei, pentapetali; plurima ſtamina purpurea, cum apicibus luteis; tria cornicula recta; lanugine pubeſcentia.

CAPUT SECUNDUM.

Sedum.

SEdum majus arboreſcens. I B. Calix in duodecim partes dividitur; flos totidem habet petala alba, plura ſtamina & apices, & tot cornicula ſunt in medio quot petala.

Sedum montanum latifolium, flore purpureo. I B. Calix in duodecim partes diviſus; flos duodecim habet petala purpurea, acuta, radiatim diſpoſita; plurima ſtamina; apices roſei; tot cornicula quot petala ſimul juncta.

Sedum montanum tomentoſum. B. Pin. Calix in quinque partes parum diviſus; decem petala purpurea, acuta; plura ſtamina & apices purpurei; decem cornicula.

Sedum minus luteum, folio acuto. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos pentapetalos; decem ſtamina cum apicibus luteis; tot ſunt cornicula quot petala.

Sedum parvum acre, flore luteo. I B. Calix in quinque partes diviſus; flos luteus, ſtellatus, pentapetalos; quinque ſtamina & apices lutei; tot etiam cornicula.

Sedum Cepæa dictum. H. L. Bat. Calix parvus in quinque partes diviſus; flos albus, pentapetalos, petali acuti, cum ſtriâ purpureâ; ſunt plurima ſtamina, apices & cornicula.

CAPUT TERTIUM.

Anacampſeros.

ANacampſeros purpurea. I B. Telephium purpureum majus. B. Pin. Calix viridis in quinque partes diviſus;

viſus; flos rubro-purpureus, pentapetalos; decem ſtamina & apices purpuraſcentes; in medio ſunt quinque cornicula.

Anacampſeros, vulgò Faba craſſa. I B. Telephium vulgare. B. Pin. eodem modo ſe habet; flos ſordidè-albus.

Anacampſeros minor, rotundiore folio ſempervirens. I B. Cepæa pancii. Cluſ. Calix in quinque partes profundè diviſus; flos pentapetalos viridi-ruber; decem ſtamina ejuſdem coloris; apices lutei; in medio quinque cornicula.

CAPUT QUARTUM.

Portulaca.

POrtulaca latifolia, ſeu ſativa. B. Pin. Calix in duas partes diviſus; flos pentapetalos, luteus, petalis bifidis; plura ſtamina & apices ejuſdem coloris; ſtylus in tres partes diviſus, apicatus; capſula duo habet cornicula, & in medio horizontaliter aperitur.

CAPUT QUINTUM.

Geum.

GEum rotundifolium majus. Inſt. R. Herb. Sanicula montana, rotundifolia major. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos albus pentapetalos, ſanguineis punctis notatus; plura ſtamina alba; apices purpurei; capſula bicornis; ſtylus intermedius.

Geum folio circinnato, acutè crenato, piſtillo floris rubro. H. R. Monſp. eodem modo.

Geum aut Saxifraga alba rotundifolia. B. Pin. Calix villoſus in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, albus; petala longa; decem ſtamina vireſcentia; apices lutei; capſula bicornis: pro parvâ quadam differentiâ non debet genus innovari.

Geum ſivè Sedum Tridactilites Alpinum pallidè-luteum. B. Pin. Calix eſt veluti Cytinus in quinque partes diviſus ; flos pentapetalos, albo-viridis ; quinque ſtamina viridia ; apices lutei ; capſula bicornis.

CAPUT SEXTUM.

Ulmaria.

Ulmaria. Cluſ. Calix parvus in quinque partes diviſus, cum punctulis rubentibus ad diviſuras; flos pentapetalos, albus ; plurima ſtamina alba ; apices lutei ; capſulæ ſunt vaginulæ contortæ, in globulum ferè congeſtæ.

CAPUT SEPTIMUM.

Barba Capræ.

Barba Capræ, floribus oblongis. B. Pin. Calix parvus, albidus, in quinque partes diviſus ; flores plurimi racematim diſpoſiti, albi, pentapetali ; plurima ſtamina & apices, quibus plures theculæ ſeu cornicula ſuccedunt.

CAPUT OCTAVUM.

Tribulus.

Tribulus terreſtris, Ciceris folio, fructu aculeato. B. Pin. Calix quinque habet folia ; flos luteus pentapetalos ; decem ſtamina & apices lutei, recti ; capſula ex plurimis ſpinulis longioribus & brevioribus compoſita plures habet angulos.

CAPUT NONUM.

Tourneſol.

Tourneſol Gallorum. Heliotropium Tricoccon. B. Pin. Flores ſpicati ; Calix quinque aut ſex habet folia; flos etiam quinque aut ſex petala parva, lutea,

e medio duorum aut trium primorum florum, nam alii ſteriles ſunt, exit pediculus ſuſtinens fructum trigonum, tuberculis exaſperatum, in cujus medio tria ſunt brevia ſtamina, aut ſtyli luteſcentes: nec poteſt dici Ricino affinis, nec Ricinoides, nullam enim habet cum Ricino ſimilitudinem.

Plantæ cum capſulâ caudatâ.

CAPUT PRIMUM.

Caryophillata.

CAryophillata Alpina lutea. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, inter unamquamque alia eſt longa & anguſta; flos luteus, pentapetalos; petali bifidi; plura ſtamina & apices lutei; capitulum conglobatum, plurimis capſulis caudatis compoſitum, unciatis, veſtibus adhærentibus.

Caryophillata Aquatica, nutante flore. B. Pin. flos purpuro- ferrugineus, in reliquis eodem modo.

CAPUT SECUNDUM.

Geranium.

Flore regulari non bifido.

GEranium Batrachioides, gratia Dei Germanorum. B. Pin. Calix in quinque partes acutas, ſulcatas diviſus; flos pentapetalos, cæruleus, cum ſtaminibus & apicibus obſcurè-purpureis; capſulæ quinque conglobatæ, unum aliquando, duo ſemina continentes, caudatæ, quæ cauda maturo ſemine in quinque partes diviſa circumvolvitur.

Geranium Batrachioides, longius radicatum, odora-

tum. I B. Calix pentaphyllos purpuraſcens, cum ſtriis viridibus; flos pallidè-purpureus; ſtamina purpurea; apices luteſcentes; cætera eodem modo ut &c.

Geranium Nodoſum. B. Pin.

Geranium Cicutæ folio moſchatum. B. Pin.

Geranium folio Malvæ rotundo. B. Pin. vulgare Columbinum.

Geranium.

Flore regulari, petalis bifidis.

GEranium Tuberoſum majus. B. Pin. Calix quinque habet folia, cum eminentiis prope pediculum; flos pentapetalos pallidè-purpureus, petalis bifidis, cum plurimis lineis obſcurioribus, cætera eodem modo.

Geranium Columbinum minus, majore flore & foliis florum bifidis. Bot. Monſp.

Geranium Columbinum majus, foliis tenuiter diſſectis & petalis bifidis. Bot. Monſp.

Geranium.

Flore irregulari.

GEranium Africanum, fruteſcens, Malvæ folio laciniato, odorato. H. L. Bat. Calix villoſus, viridis, intùs rubens, in quinque partes diviſus; flores veluti in umbellâ magni, roſei coloris, cum plurimis lineis purpureis, pentapetali, ſubrotundi; duo petala ſuperiora longiora approximata, tria inferiora breviora; quinque ſtamina longiora & quinque breviora; apices purpurei; capſulæ ut in aliis.

Geranium Alchimillæ folio hirſuto, floribus albidis.

H. L. Bat. floris petala anguſta minora, alba, inæqualia, cum lineis purpureis; in reliquis eodem modo ſe habet.

SECTIO TERTIA.

De Plantis cum calice externo & interno, polypetalis irregularibus.

CAPUT PRIMUM.

Fraxinella.

FRaxinella, ſivè Dictamnus albus vulgò. B. Pin. Calix quinquefolius, e viridi-rubens, tuberculis exaſperatus; flores ſpicati pentapetali, albo-purpurei, cum lineis obſcurius-purpureis; duo petala ſuperiora ab aliis magis diſtant, longa & acuta, tria inferiora; decem ſtamina recurva ejuſdem coloris; apices obſcurè-purpurei; ſtylus inter cornicula reflexa.

CAPUT SECUNDUM.

Cardamindum.

CArdamindum minus, & vulgare. Inſt. R. Herb. Naſturtium Indicum minus. B. Pin. Calix quinque habet folia longa & anguſta; flos miniatus, pentapetalos, duo petala ſuperiora cum longo calcari, longiora cum ſtriis rubris, duo lateralia, & unum inferius, ad latera fimbriata, cum maculâ rubrâ; octo vel decem ſtamina, cum apicibus miniatis; tres ſtyli rubri ſupra capitulum è tribus capſulis compoſitum.

Cardamindum ampliori folio & flore majori. Inſt. R. Herb. folia & flores multò majores, odorati, & color vividior.

CAPUT TERTIUM.

Viola.

VIola Martia purpurea, flore ſimplici odoro. B. Pin. Calix quinque folius, unum folium ſuperius, quatuor lateralia; flos pentapetalos purpureus, duo petala ſuperiora, duo lateralia, unum inferius brevius, cum parvo calcari obtuſo; quinque brevia ſtamina alba cum apicibus luteis; ſtylus ſupra fructum in tres partes dehiſcens.

Viola Tricolor Hortenſis. B. Pin Calix quinque habet folia acuta, unum ſuperius, quatuor lateralia; flos pentapetalos, duo petala ſuperiora purpurea, duo lateralia lutea cum lineis purpureis, in ſummo purpurea, inferius luteum cum lineis purpureis, cum calcari, &c.

CAPUT QUARTUM.

Cor Indum.

COr Indum, ſivè Halicacabum peregrinum multis. I B. Calix quatuor habet parva folia viridia; flos octo petala alba, duo petala ſuperiora majora, duo inferiora, quatuor parva interiora; parva ſtamina alba, & apices lutei; fructus veſicarius in quo continentur tria piſa rotunda, nigra, placentæ adnata & conjuncta, cum maculâ albâ cordiformi in medio; leguminoſa eſt Planta.

CAPUT QUINTUM.

Reſeda.

REſeda flore albo, foliis Calcitrapæ. H. R. Bleſ. Calix quinque aut ſex habet folia longa, anguſta; flos ſpicatus tetrapetalos, albus miræ ſtructuræ, duo petala ſuperiora ad latera in duas partes diviſa, ſub illis alia

duo plana, diſſecta; decem ſtamina alba & apices lutei; ſub petalis capſula longa, trigona, aperta.

Reſeda vulgaris eodem modo.

Reſeda minor vulgaris. Inſt. R. Herb. Phyteuma Monſpelienſium. Lob. Calix quinque habet folia longa, anguſta; flos albus tetrapetalos, ſupra ſtamina duo petala ſuperiora ad latera elata, plana, denticulata, aut corniculata, cum inferiori appendice alba, ſupra rotunda, inferiùs falcata; duo alia petala ad latus ſub primis; octo ſtamina alba & apices lutei; ſub flore eſt capſula longa, aperta, tricapſularis.

CAPUT SEXTUM.

Luteola.

LUteola herba Salicis folio. B. Pin. Calix ſex habet folia; flos quinque aut ſex petala alba quorum diviſuræ vix diſcernuntur; ſtamina & apices lutei; capſula conica, aperta, cum tribus corniculis.

SECTIO QUARTA.

De Plantis cum calice externo & interno, polypetalis, irregularibus, leguminoſis.

CUm in Plantis Leguminoſis non poſſit ſufficiens deſumi differentia a foliis, Capreolis, floribus & ſiliquis, addemus Plantæ habitum qui in iſtâ Sectione præcipui eſt momenti, ut clariùs diſtinguantur Plantæ Leguminoſæ.

Notandum flores Plantarum Leguminoſarum eſſe pen-

tapetalos, pars enim quæ carina vocatur, ex duobus petalis componitur, quæ dum ſiccantur ſeparantur & diverſam habent originem.

Iſta Sectio in duas partes dividetur; prima erit de Leguminoſis, quæ plura habent folia conjugatim diſpoſita, quæ etiam in tres partes dividetur. Prima quæ ſiliquam habent bicapſularem; ſecunda quæ unicapſularem, tertia quæ habent articuloſam.

Secunda pars erit de Leguminoſis trifoliatis.

SECTIONIS IVæ. PARS Ia.

PARTIS Iæ. SECTIONIS IVæ. DIVISIO Ia.

De Plantis quæ plura habent folia conjugatim diſpoſita, ſiliquâ bicapſulari.

CAPUT PRIMUM.

Aſtragalus.

ASTragalus Monſpeſſulanus. I B. Calix tubulus eſt in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores, duæ laterales, una inferior; flores conglomerati, pentapetali, pupuraſcentes, petalum ſuperius longum, intùs plicatum, duo lateralia longa, alba; Carina duo habet petala alba, clauſa, intra quæ eſt ſiliqua cum ſtaminibus brevibus & apicibus luteis in ſummo; ſiliquæ incurvæ, rubentes.

Aſtragalus Perennis procumbens vulgaris, ſive ſylveſtris. Moriſſ. Fœnugræcum ſylveſtre. I B. Calix parum in quinque partes diviſus; flos pentapetalos luteo-pallidus; petalum ſuperius majus, duo lateralia, duo quæ ſiliquam

quam inveſtiunt incurvam cum ſtaminibus & apicibus.

CAPUT SECUNDUM.

Tragacantha.

TRagacantha Maſſilienſis. I B. hanc ſic deſcribit Raius; in ſummo inter ſpinoſa folia ſtipantur multi floſculi invicem collecti, Geniſtellæ ſimiles, ſed albi; ſiliqua numeroſa, recta, Ciceris modo curta, gemella, &c.

CAPUT TERTIUM.

Scolopendria.

SColopendria Leguminoſa. Cortus. Securidaca ſiliquis planis utrinquè dentatis. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flores Leguminoſi, rubro-cærulei; plures ſimul ſiliquæ planæ, ruffeſcentes, utrinquè dentatæ, nervo per medium decurrente.

PARTIS Iæ. SECTIONIS IVæ. DIVISIO IIa.

Plantæ polypetalæ, leguminoſæ, ſiliquâ longâ unicapſulari.

CAPUT PRIMUM.

Faba.

FAba major recentiorum. Lob. flore albo, lituris nigris conſpicuo. B. Pin. Calix eſt tubulus parum in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores, duæ laterales, una inferior; flos albus pentapetalos; petalum ſuperius latum, duo lateralia maculam habent nigram, duo ſiliquam ambiunt, quæ in ſummo parva habet ſtamina & apices.

Faba ſylveſtris, fructu rotundo atro. B. Pin. Calix in

quinque partes magis diviſus; flos obſcurè-purpureus, quià claviculas habet, ideò à pleriſque Vicia nominata eſt, ſed quià totum habet Fabæ habitum, & quod primo aſpectu ab omnibus Faba vocabitur, Fabam vocavimus.

CAPUT SECUNDUM.

Lupinus.

LUpinus peregrinus major; vel villoſus cæruleus major. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos pentapetalos purpureus; petalum ſuperius elatum, exteriùs plicatum, in imo habens veluti os, duo petala lateralia, duo verò quæ ſiliquam ambiunt, quæ in ſummo plurima habet brevia ſtamina & apices luteos.

CAPUT TERTIUM.

Galega.

GAlega vulgaris, floribus cæruleis. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flores pallidè-cærulei, ſpicatim diſpoſiti, unuſquiſque pentapetalos, ejuſdem cum aliis floribus leguminoſis ſtructuræ.

CAPUT QUARTUM.

Aſtragaloides.

AStragaloides Luſitanica. Inſt. R. Herb. Aſtragalus Bœticus Lanuginoſus, radice ampliſſimâ. B. Pin. Calix in quinque partes denticulatus, duæ ſuperiores, tres inferiores; flos pentapetalos, albo-luteus; petalis longis, cætera ut in aliis leguminoſis.

CAPUT QUINTUM.

Piſum.

PIſum Hortenſe majus, flore fructuque albo. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores,

duæ laterales, una inferior; flos pentapetalos, albus; petalum ſuperius latum, elatum, duo lateralia, duo quæ ſiliquam ambiunt, & brevia ſtamina cum apicibus.

CAPUT SEXTUM.

Lathyrus.

LAthyrus ſativus, flore fructuque albo. B. Pin. Calix eodem modo ac in aliis leguminibus diviſus, ut & flos albus in cæruleum vergens; brevia ſtamina ſupra ſiliquam, & apices lutei.

Lathyrus ſylveſtris luteus, foliis Viciæ. B. Pin. eodem modo ac ſativus.

Lathyrus luteus, latifolius. Bot. Monſp. petalum ſuperius latum, ſulcatum & cordatum.

Lathyrus folio tenuiore, floribus rubris. I B. flos ruberrimus; petalum ſuperius eodem modo; ſiliqua lata & plana.

Lathyrus anguſtifolius, erectus, folio ſingulari. D. Niſſolle. H. R. Monſp. non denegabo illi nomen Niſſoliæ, quod illi dedit Tournefort. ob noſtram amicitiam. Dicam tamen non eſſe de eſſentiâ Lathyri, duo habere folia ſimul, ſi enim alius inveniretur cum tribus foliis, non ideò conſtituendum eſſet novum genus; nec debet etiam fieri cum ſunt quatuor aut ſex, ut fecit Tournefort. de Clymeno, omnes enim verum habent Lathyri habitum, qui ut diximus, in leguminoſis Plantis præcipuè ſpectandus eſt. Nec tot multiplicare genera debemus, & novis nominibus obſcurare Scientiam Botanicam.

CAPUT SEPTIMUM.

Orobus.

OROBUS ſylvaticus, purpureus, vernus. B. Pin. Calix brevis purpuraſcens, in quinque partes diviſus, duæ ut in aliis ſuperiores, duæ laterales, una inferior; flos pentapetalos obſcurè-purpureus, labrum ſuperius latum & elatum, duo lateralia minora, & duo quæ ſiliquam apicatam ambiunt.

CAPUT OCTAVUM.

Vicia.

VICIA anguſtifolia, purpureo-violacea, ſiliquâ latâ glabrâ. Bot. Monſp. Calix ut in leguminoſis diviſus; flos magnus, pentapetalos; petalum ſuperius cordatum; ſtaminula & apices; in ſummo ſiliquæ.

Vicia ſiliquas ſuprà, infraquè terram edens. Inſt. R. Herb. flos magnus violaceus; petalum ſuperius longum, plicatum & cordatum.

Vicia flore luteo, ſylveſtris. I B. Calix parvus, in quinque partes eodem modo diviſus; flos pentapetalos, luteus; ſuperius petalum latum & cordatum; ſiliqua hirſuta, apicata.

Vicia ſegetum, cum plurimis ſiliquis hirſutis. I B. plures habet flores minimos, racematim congeſtos, dilutè-cæruleos, quibus ſuccedunt parvæ ſiliquæ hirſutæ. An hæc novum genus Plantæ Craccæ nomine debeat conſtituere judicent alii.

Viciæ, ſeu Craccæ minima ſpecies, cum ſiliquis glabris. I B. flores e longis pediculis fert ut plurimum ſingulares, pallidè-cæruleos; ſiliquas longas, parum compreſſas.

CAPUT NONUM.

Eruum.

ERuum multis, ſivè Orobus. I B. Calix in quinque partes longas, anguſtas, eodem ac in aliis leguminoſis modo diviſas; flos pentapetalos, albus, parvus; ſiliqua pendula, veluti nodoſa, aut articulata.

CAPUT DECIMUM.

Aphaca.

APhaca. Lob. Vicia lutea, foliis convolvuli minoris. B. Pin. Calix in quinque partes acutas aliorum more diviſus; flos luteus, pentapetalos; petalum ſuperius plurimis lineis nigricantibus ſtriatum; ſiliquæ continent ſemina parva, rotunda, nigra, lucida.

Plantæ leguminoſæ, capſulâ brevi, unicapſulari.

CAPUT PRIMUM.

Lens.

LEns vulgaris. B. Pin. Calix in quinque partes longas, anguſtas & acutas diviſus; flos albus leguminoſus, vel Papilionaceus, Vexillum vel petalum ſuperius elatum, obtuſum, cum plurimis ſtriis obſcurè-purpureis; ſiliquæ breves, latæ; ſemen rotundum, compreſſum, in medio craſſius.

CAPUT SECUNDUM.

Cicer.

CIcer ſativum. B. Pin. Calix in quinque partes anguſtas & acutas diviſus eodem ac in aliis modo; flos pentapetalos, purpuraſcens; labrum ſuperius purpuraſcens cum lineis obſcurioribus; ſiliqua brevis turgida,

ſemen Piſo majus, inæquale, tuberculis exaſperatum.

CAPUT TERTIUM.

Dorycnium.

DOrycnium Monſpelienſium. Lob. Trifolium album, floribus veluti in capitulum congeſtis. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flos albus, pentapetalos; petalum ſuperius elatum eſt, & quaſi Galeatum, duo lateralia acuta, duo quæ ſiliquam involvunt obſcurè-purpurea; ſiliqua brevis, vel capſula, cum parvis ſtaminibus & apicibus.

CAPUT QUARTUM.

Barba Jovis.

BArba Jovis pumila, villoſa, flore globoſo purpureo. Breyn. Prodr. 2°. Calix parum in quinque partes diviſus; flores in capitulum congeſti, purpuraſcentes, pentapetali; petalum ſuperius elatum, duo lateralia, duo circa ſiliquam apicatam: hæc Planta non debet poni inter frutices.

CAPUT QUINTUM.

Vulneraria.

VUlneraria ruſtica. I B. Loto affinis, Vulneraria Pratenſis. B. Pin. Calix tubulus eſt albus, inflatus, villoſus, cum quinque denticulis, duo ſuperiores latiores, duo laterales, unus inferior; flores plures ſimul lutei, pentapetali; petalum ſuperius longum & elatum, duo lateralia, & duo quæ ambiunt capſulam apicatam.

CAPUT SEXTUM.

Onobrychis

ONobrychis Orientalis, flore flaveſcente, Vexillo lineis purpureis variegato. Coroll. Inſt. R. Herb.

Calix in quinque partes eodem modo ac in aliis diviſus ; flos pentapetalos pallidè-luteus ; ſuperius petalum latum, elatum, cum plurimis lineis purpureis ; ſilicula in ſummo brevia habet ſtamina & apices pallidè-luteos ; echinata eſt.

Onobrychis foliis Viciæ, fructu echinato major. B. Pin. floribus dilutè-rubentibus & parvitate differt.

CAPUT SEPTIMUM.

Glyzirrhiſa.

GLyzirrhiſa echinata. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus, ſub quo longum oritur folium ; flores in capitulum congeſti, pentapetali, cæruleo-purpurei ; petalum ſuperius majus ; in ſummo ſiliquæ ; ſtamina brevia ; apices lutei ; capſulæ potius quam ſiliquæ ruffeſcentes, multùm echinatæ, in quibus unum aut duo ſemina reniformia continentur.

PARTIS Iæ. SECTIONIS IVæ. DIVISIO IIIa.

De Leguminoſis quæ ſiliquam habent articulatam.

CAPUT PRIMUM.

Securidaca.

SEcuridaca lutea major. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus ; flores coronæ inſtar diſpoſiti, lutei, pentapetali ; ſuperius petalum elatum, cum brevibus ſtaminibus & apicibus ſupra ſiliquam planam, articulatam,

CAPUT SECUNDUM.

Ornithopodium.

ORnithopodium Scorpioides, ſiliquâ compreſsâ. Inſt. R. Herb. Scorpioides leguminoſa. I B. Calix brevis, in quinque partes acutas aliarum more diviſus; flos parvus, luteus, pentapetalos; petali obtuſi; ſiliqua compreſſa, articulata.

CAPUT TERTIUM.

Coronilla.

COronilla herbacea, flore vario. Inſt. R. Herb. Securidaca Dumetorum, flore vario, ſiliquis articulatis. B. Pin. Calix in quinque partes parum diviſus; flores albo-roſei, coronæ in modum diſpoſiti, pentapetali, petalum ſuperius elatum, bifidum, cum brevibus ſtaminibus & apicibus ſupra ſiliquam articulatam.

Coronilla herbacea. Raii. Ferrum Equinum Gallicum, ſiliquis in ſummitate. B. Pin. Calix in duas partes dividitur, una ſuperior, alia inferior; flores in coronam diſpoſiti, lutei, pentapetali; petalum ſuperius latum, duo lateralia, duo ſiliquam inveſtiunt apicatam: hæ duæ Plantæ debent hìc potius referri, quam inter frutices & arbores.

CAPUT QUARTUM.

Ferrum Equinum.

FErrum Equinum, ſiliquâ ſingulari. B. Pin. Calix parvus in quinque partes diviſus; flos parvus, luteus juxta caulem, pentapetalos; petalum ſuperius latum; ſiliquæ latæ compreſſæ, inciſuris ſivè foraminibus ex unâ parte diviſæ, ſeu Lunæ in modum falcatæ.

Ferrum

Ferrum Equinum Germanicum, ſiliquis in ſummitate. B. Pin. Calix eodem modo ac in leguminoſis diviſus; flores lutei, pentapetali, coronæ inſtar penduli; petalum ſuperius latum, obtuſum, ſulcatum; ſiliquæ etiam lunatæ.

CAPUT QUINTUM.

Hedyſarum.

HEdyſarum Clypeatum, flore ſuavè-rubente. Eyſt. Calix in quinque partes diviſus ut in aliis; flores quaſi ſpicati, amœnè rubri, pentapetali; petalum ſuperius parum plicatum, ſub quo latent duo ſtamina tenuia, alba, curva, cum apicibus luteis, duo petala lateralia, duo ſiliquam ambiunt, quæ brevia habet ſtamina alba, cum apicibus luteis; ſiliquæ compreſſæ, aſperæ, ex plurimis orbiculis ſibi invicem articulatim commiſſis componuntur.

Hedyſarum Triphyllum Canadenſe. Cornut. Calix in quatuor aut quinque partes dividitur; flores ſpicati, albo-purpurei, pentapetali; ſuperius petalum latum, elatum, parum bifidum, in cujus fundo duæ ſunt lineæ albæ, in obſcuro-purpureo; ſiliquæ aſperæ, apicatæ per internodia diſcriminatim ut ſuperius. Quamvis ſit Planta trifolia Hedyſaris adjunximus, inquit Raius, ob ſiliquarum conformitatem.

CAPUT SEXTUM.

Scorpioides.

SCorpioides Beupleuri folio. B. Pin. Calix in quinque partes longas & acutas diviſus; flos luteus, qui deindè rubeſcit, pentapetalos; petalum ſuperius latum, obtuſum, dentatum; ſiliquæ hiſpidæ, convolutæ Erucarum inſtar, quæ per maturitatem articulatim rumpuntur.

SECTIONIS IVæ. PARS IIa.

De leguminoſis trifoliatis.

CAPUT PRIMUM.

Phaſeolus.

PHaſeolus Ægiptiacus, ſemine ruffo. B. Pin. Lablab alterum ruffum. Alpin. Cluſ. Calix parvas habet quatuor diviſuras, una eſt ſuperior, duæ laterales, una inferior; flos pentapetalos albus, magnus; petalum ſuperius latum, quatuor alia parva; ſiliqua lata, apicata, plana, in margine ſuperiore lineâ in longum diviſa, utrâque parte denticulata.

Phaſeolus vulgaris, fructu albo. B. Pin. Smilax hortenſis. I B. Calix in tres parvas partes diviſus; flos pentapetalos, albus; petalum ſuperius latum, veluti cordatum, ſub quo latet ſtamen, duo lateralia, duo quæ ſiliquam apicatam ambiunt; ſiliquæ longæ.

CAPUT SECUNDUM.

Lotus.

LOtus propriè loquendo quinque habet folia, duo enim cauliculis proxima debent inter folia recenſeri, ideò à Botanicis Lotus pentaphyllos dicitur, clarioris tamen doctrinæ gratiâ, inter leguminoſa trifoliata recenſetur, impropriè tamen, ut dicit Raius.

Lotus, ſivè Melilotus Pratenſis minor glabra. B. Pin. Calix eodem modo & eadem diſpoſitione ac in aliis leguminoſis; flos pentapetalos, luteus; petalum ſuperius latum, elatum, ſulcatum, alia minora; ſiliqua apicata, longa, anguſta.

Lotus Pratenſis, ſiliquoſus luteus. B. Pin. eodem modo; ſiliqua craſſior.

Lotus ruber, ſiliquâ angulosâ. B. Pin. Calix eodem modo; flos rubro-ſericeus, pentapetalos; petalum ſuperius magnum & elatum; ſiliqua longa, quadrangulis alatis.

Lotus villoſus altiſſimus, glomerato flore. Inſt. R. Herb. Lybica. Dalech. Lugd. Calix in quinque partes ſimiliter diviſus; flos pentapetalos, albus, cum lineis purpureis; petalum ſuperius latum, parum fimbriatum; ſiliquæ breves.

Lotus ſiliquoſus, pentaphyllos villoſus. B. Pin. Trifolium Hæmorrhoidale. Lob. Illuſt. Calix tubulus eſt villoſus, in quinque partes ſimiliter diviſus; flos pentapetalos, albus, lineis purpureis variegatus; ſuperius petalum longum, anguſtum & elatum; ſiliqua brevis apicata.

Quamvis ſiliquæ in Loti ſpeciebus multum inter ſe differant, habitus Plantæ cogit eas ſub eodem genere collocare.

CAPUT TERTIUM.

Fœnugræcum.

FOenugræcum ſativum. B. Pin. Calix eodem modo in quinque partes longas & anguſtas diviſus; flos pentapetalos, albus; petalum ſuperius longum & anguſtum; ſiliquæ apicatæ, longæ, compreſſæ.

CAPUT QUARTUM.

Anonis.

ANonis ſpinoſa, flore purpureo. B. Pin. Calix in quinque partes eodem modo diviſus; flos pentapetalos, albo-purpureus; ſuperius petalum oblongum, latum, ſulcatum; ſiliqua brevis, apicata.

Anonis fruteſcens, non ſpinoſa purpurea Dodart. Mem. eodem modo.

Anonis viſcoſa, ſpinis carens lutea major. B. Pin. Calix villoſus ut in aliis leguminoſis diviſus; flos pentapetalos, luteus; petalum ſuperius latum, elatum, ſulcatum, cum lineis purpureis; ſiliqua brevis, apicata.

CAPUT QUINTUM.

Chamæcytiſus.

CHamæcytiſus argenteus. Trifolium argentatum, floribus luteis. I B. Calix brevis eodem modo ac in aliis leguminoſis qui non decidit; flos luteus, pentapetalos; petalum ſuperius latum, obtuſum, ſulcatum; ſiliqua compreſſa cum ſeminibus lentiformibus. Non debet reponi inter frutices, nec arbores.

CAPUT SEXTUM.

Melilotus.

MElilotus Officinarum Germaniæ. B. Pin. Calix ut in leguminoſis; flores ſpicati, pentapetali, lutei; petalum ſuperius parum bifidum & ſulcatum, alia quatuor minora quibus capſulæ ſuccedunt.

Melilotus major odorata, violacea. Moriſſ. Calix eodem modo; flores parvi, in ſpicâ compactiore cæruleo-violacei.

Melilotus capſulis reni ſimilibus, in capitulum congeſtis. Inſt. R. Herb. Trifolium Pratenſe luteum, capitulo breviore. B. Pin. Calix in quinque partes anguſtas diviſus; flos luteus adeò parvus ut ejus ſtructura vix diſcerni poſſit; capſulæ ut in aliis ſpeciebus.

CAPUT SEPTIMUM.

Trifolium.

TRrifolium Bitumen redolens. B. Pin. Calix in quinque partes acutas diviſus, duæ ſuperiores, duæ la-

terales, una inferior; flores ferè conglobati, obſcurè-cærulei, pentapetali; petalum ſuperius longum, apertum, elatum, ſulcatum; duo lateralia pallidiora, cuilibet eſt veluti parvum calcar, inter quæ alia ſunt duo minora, breviora ejuſdem coloris, cum maculâ obſcurè-purpureâ; capſula hirſuta, foliacea, in cuſpidem deſinens.

Trifolium Pratenſe purpureum. B. Pin. Calix eodem modo; flos tubulus eſt purpureus, in quinque partes diviſus, ſuperior diviſura longa, anguſta, obtuſa, duæ laterales, duæ circa capſulam apicatam. Quamvis monopetalos ſit, totus habitus illud Trifolium eſſe declarat.

Trifolium Pratenſe album. B. Pin. Calix ut in aliis; flos pentapetalos, albus; petalum ſuperius majus & acutum, in cæteris eodem modo.

Trifolium Phœum fuſcum, luxurians quaternis, Quinis, aut Senis foliis. Moriſſ. flos eandem habet cum aliis ſtructuram; numerus autem foliorum non impedit, quin inter Trifolia annumeretur.

Trifolium Fragiferum noſtras purpureum, folio oblongo. Moriſſ. Calix eodem ac in aliis modo; flores in capitulum collecti, parvi, pentapetali; petalum ſuperius purpureum, longum, anguſtum, duo lateralia alba, retuſa, duo circa capſulam globoſam veſicariam.

Trifolium Stellatum. B. Pin. ſpicam parvam florum purpuraſcentium pentapetalorum producit; petalum ſuperius longum, plicatum; elapſo flore Calix villoſus in fundo pupuraſcens, Stellæ modo in quinque partes longas & anguſtas veluti radios aperitur, quæ globulum Stellarum efformant mirabilis ſtructuræ.

Trifolium ſemen ſub terram condens. H. R. Bleſ. deſcriptionem vide in Bot. Monſpelienſi.

Trifolium capitulo Lagopi rotundiore. B. Pin. capitulo glomerato rigido. I B. Calix in quinque partes longas, piloſas diviſus; flores in capitulum congeſti, ruſeſcentes, dum Calix ſiccatur rigidus evadit.

Trifolium Arvenſe, humile, ſpicatum, ſivè Lagopus. B. Pin. Calix in quinque partes longas, villoſas & anguſtas diviſus; flores ſpicati, lutei, pentapetali qui vix apparent; ſpica mollis eſt.

Trifolium Montanum, anguſtiſſimum, ſpicatum. B. Pin. flores in longis ſpicis producit, rubro-purpureos, pentapetalos; petali longi; Calix in quinque partes longas, anguſtas diviſus, ex utrâque parte villis plumoſis ornatas, quæ dum ſiccantur rigidæ & quaſi ſpinoſæ fiunt.

CAPUT OCTAVUM.

Medica.

MEdica major erectior, floribus purpuraſcentibus IB. Trifolium ſiliquâ cornutâ, ſive Medica. B. Pin. Calix in quinque partes anguſtas & acutas ut in aliis leguminoſis diviſus; flos pentapetalos; petalum ſuperius majus, alia minora; ſiliqua cornu caprini inſtar contorta, gyris non contiguis, ſed paulo remotioribus.

Medica Orbiculata. I B. Trifolium cochleatum aut ſcutellatum, fructu latiore, folio minuto obtuſo. B. Pin. Calix eodem modo; flos luteus, parvus; ſiliquæ compreſſæ, ex tribus aut quatuor orbiculis altero alteri impoſito conſtantes, quæ nigræ evadunt.

Medica Echinata hirſuta. IB. Trifolium Echinatum ar-

SPECIMEN TRACTATUS SECUNDI

De Fruticibus & Arboribus,

IN TRES ETIAM LIBROS DIVISI.

CUm ſufficientes non habeamus florum Fruticum & Arborum deſcriptiones, reſpectu noſtri Primi Tractatûs, eas damus pro ſpecimine Tractatûs Secundi, quas jam antè deſcripſeramus, ut juxta eandem methodum noſtris inceptis addant alii ea quæ non potuimus perficere.

LIBER PRIMUS

De Arboribus & Fruticibus cum ſolo Calice externo.

NON novimus plures Frutices aut Arbores quæ ſint cum Calice externo & ſeminibus nudis, plures tamen habemus Arbores Juliferas, quarum aliæ poſſunt dici flore ſtamineo ſeminiferæ, aliæ vero Julos producunt ſteriles quos pſeudoflores vocamus, & qui revera flores non ſunt, ſed ad alios uſus à naturâ producti, & fructus ſeparatos qui calices habent diverſæ figuræ, & ad calices externos debent reduci; nam ut alibi diximus, calix internus floribus involvitur aut illis ſubjacet, quod non accidit in Caſtaneâ, Nuce & aliis quæ pſeudoflores habent ſeparatos, fructus verò in calice externo reconditos : nec memores ſumus an in medio calicis Caſtaneæ & aliorum fructuum ſint quædam ſtamina quæ flores dici poſſent, ut in noſtro Primo Tractatu diximus de Ricino, Xanthio & aliis. In iſto Primo Libro quinque erunt Sectiones, Prima de Arboribus Juliferis quæ ſemen in Julis ferunt : Secunda de Juliferis quarum fructus ſeparatus eſt in calicibus externis : Tertia de Arboribus Coniferis flore ſtamineo : Quarta de Arboribus Piluliferis flore ſtamineo : Quinta de Ar-

boribus Monopetalis, quarum flores ſunt intra calicem, quidquid ſit de calice, an ſit apertus, an clauſus.

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Salix.

SAlix Maxima, fragilis alba. I B. Julos ſic deſcribit Raius. Salices ſeminiferæ nullis, addimus paucis florum ſtaminibus aut apicibus exhilarantur; Vaſculi ſeminales per maturitatem in duas partes dehiſcunt, in quibus ſemina Pappo involuta clauduntur. Quod autem aliæ ſint floriferæ, aliæ tantum ſeminiferæ, illud eſt de quo maximè dubitandum, veroſimilius eſt in eadem Arbore alios eſſe Julos partim floriferos, alios verò ſeminiferos; ob enim florum abundantiam omnes non poſſunt eſſe ſeminiferi, ut in Urticâ & aliis plurimis Plantis accidit.

CAPUT SECUNDUM.

Populus.

POpulus alba. I B. quæ diximus de Salice eadem dicimus de Populo; Catulos ſeu Julos eodem modo producit ac Salix villoſos & ex purpurâ-fuſcos, ut dicit Tab.

SECTIO SECUNDA.

De Arboribus Juliferis, quarum fructus ſeparatus eſt in Calicibus externis.

HUjus Sectionis Arbores vel Frutices ſunt cum Calice molli, vel echinato, vel dimidiato, quarum

aliæ ſunt vel folio deciduo, vel ſempervirenti.

CAPUT PRIMUM.

Nux Juglans.

NUx Juglans. I B Antequam fructus appareant, plures producit Julos longos cum calicibus, ſtaminibus & apicibus, plurimo pulvere luteo aſperſis, qui pſeudoflores à nobis dicuntur, quamvis pro vero & genuino flore habeat Raius; ſequuntur deindè fructus plures ſimul ex eodem pediculo pendentes, quorum calices acerbi & amari ſaporis ſunt, virides, nigro colore manus inficientes, intra quos nuces continentur, quas deſcribere neceſſum eſſe non arbitramur, ſed vide. I B.

CAPUT SECUNDUM.

Corylus.

COrylus ſativa. I B. Julos emittit oblongos, ex plurimis calicibus lanuginoſis compoſitos, qui ſinguli emittunt ſtamina longa, alba, cum apicibus parvis, luteis; fructus calicem habent ſeu involucrum ſurcoſum, variè fimbriatum. Dicimus iterum, quidquid dicat Raius, Julos illos eſſe pſeudoflores, nec debere in numero florum recenſeri, ſed potius ſtamina coccinea.

Calice echinato.

Caſtanea.

CAſtanea. I B. Julos longos profert plurimis calicibus conſtantes; antequam aperiantur globuli videntur in quibus plura ſunt ſtamina alba, cum apicibus albo-luteis qui tripartiti videntur; fructus verò in calicibus echinatis qui quadrifariam plerumque dehiſcunt, in quorum cellulis Caſtaneæ continentur.

Arbores Juliferæ, calice partem fructus tegente, foliis deciduis.

Quercus.

QUercus Vulgaris brevibus ac longis pediculis. IB. Juli, ut inquit, e tenuibus pediculis, per certa intervalla muſcoſi obſervantur, veluti ex uno puncto compoſiti: obſervantur quoque & glandium rudimenta tanquam globi minimi purpurantes & hirſuti, qui illi & Raio floſculus videntur: addit Raius in Libri Margine Julos pro floribus non habemus, cur ergo alibi aſſerit Julos eſſe veros flores.

Juliferæ calice partem fructus tegente, foliis ſempervirentibus.

Ilex.

ILex Arborea. IB. Juli plurimos habent calices in quinque vel ſex partes diviſos; ſtamina brevia ſunt cum apicibus ſulcatis, luteis; glandes fert cupulâ munitas aliquando echinatâ, aliquando læviore; fructus remoto cortice in duas partes aperitur.

SECTIO TERTIA.

De Arboribus coniferis.

CAPUT PRIMUM.

Cupreſſus.

CUpreſſus. IB. Nuces producit parvas, oblongas, quæ plures habent ſquamas, ſeu tubera clavata, in quo-

rum cellulis, dum dehiſcunt, videtur pulvis luteus; ſequuntur deindè ſemina in illis cellulis inæqualia, partim anguloſa, partim rotunda, partim oblonga.

CAPUT SECUNDUM.

Abies.

ABies Conis deorſum ſpectantibus. Raii. dicimus ſolum de iſtâ quod vidimus: quod ex plurimis foliolis latis, ferrugineis exeunt pediculi floribus onuſti monopetalis, palleſcentibus, cum labro erecto purpuro-ferrugineo, uno verſu diſpoſitis; Coni autem & ſemina ab authoribus deſcribuntur.

SECTIO QUARTA.

Arbores Piluliferæ, flore ſtamineo.

Platanus.

PLatanus Orientalis vera. Parkins. Pilulas fert rotundas, e plurimis calicibus longis intùs & extra piloſis, mollibus, in ſummitate parum in quinque partes diviſis, intra quos plurima ſunt ſtamina viridia, craſſa, in extremitate recurva & ferruginea ſemina continentur.

SECTIO QUINTA.

Arbores monopetalæ, quarum flores ſunt intra calicem externum.

Ficus.

FIcus. I B. peculiaris eſt florum Ficus ortus. Antiqui nullum florem producere crediderunt. Cordus & Bo-

tanici ſequaces florem illi ex Capillamentis compoſitum dederunt. Nos à quibuſdam annis eam ſic deſcripſeramus.

Plurimæ ſunt Ficuum ſpecies colore, magnitudine & guſtu differentes, ut autem flos ritè deſcribi poſſit, diverſo tempore antè maturitatem examinandæ ſunt, in duas partes per medium aperiendæ, in minoribus ope Microſcopii videntur plurimi tubuli albi, rotundi, in ſummitate craſſiores, ſupra placentam quæ calice ſivè cortice operitur diſpoſiti, totamque Ficus cavitatem replentes; dum augetur Ficus ſummitas illa tubulorum craſſior aperitur & in plurima filamenta dividitur quæ rete in modum, vel cancelli irregularis totam Ficus ſuperficiem internam replent, ideo creditum fuit florem Ficus ex Capillamentis componi; intra Ficus baſim ſunt plures tubi craſſiores & longiores, minus diſſecti, e quibus oriuntur brevia ſtamina cum quibuſdam apicibus; extra tubulos quædam ſunt foliola alba, anguſta, in ſummitate exteriore viridia quæ depingit Malpig. Tab. 27. indè maturâ Ficu egreditur humor melleus, & placenta & tubuli convertuntur in Pulpam vermicularem, cum ſeminibus parvis, ferè rotundis, luteſcentibus, quæ diverſi coloris ſunt juxta Ficuum ſpecies.

LIBER SECUNDUS

LIBER SECUNDUS.

Arbores & Frutices cum ſolo calice interno.

DIvidetur iſte Liber in tres Sectiones. Prima Arborum & Fruticum qui ſunt flore monopetalo, fructu alato, vel fructu molli : Secunda qui ſunt flore tetrapetalo, cum fructu alato vel molli : Tertia qui ſunt flore polypetalo cum fructu molli.

SECTIO PRIMA.

Arbores flore monopetalo, fructu alato.

Ulmus.

ULmus Campeſtris & Theophr. B. Pin. Menſe Februario ante folia juxta ramulos emittit plures flores ſimul conglobatos, tubuloſos aut floſculos albicantes, intra quos ſunt ſtamina longa & apices purpuraſcentes; floribus ſuccedunt fructus alati ſeu membranacei, in unâ parte fiſſi in quibus ſemen continetur. Malè dicitur flos campaniformis, alioquin omnes flores fiſtuloſi deberent dici campaniformes, quod nullus adhuc dixit, nec dicere debet.

Arbores flore monopetalo, fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Caſſia Poetica.

CAſſia Poetica Monſpelienſium. Lob. Icon. frutex eſt cujus flos eſt monopetalos, e viridi-luteus, in tres partes diviſus, cum tribus parvis ſtaminibus flori adhærentibus & apicibus, aliquando in quatuor partes dividitur & ſunt quatuor ſtamina. Quidam florem pro calice ſumunt; qui in ramulos juxta caulem oriuntur fructus ſivè baccæ rubræ in eodem Caule à floribus oriuntur, in quibus eſt oſſeus nucleus medullam continens.

CAPUT SECUNDUM.

Rhamnus Catharticus.

RHamnus Catharticus. B. Pin. flores fert quaſi in umbellâ virides, monopetalos, in quatuor partes diviſos; inter utramque diviſuram adhæret ſtamen cum apice, & foliolum quoddam longum, anguſtum, ferrugineum; ſuccedunt baccæ nigræ in quibus grana terna aut quaterna.

CAPUT TERTIUM.

Oleaſter.

OLeaſter Cappadocicus. Parkins. Olea Bohemica. I B. flos eſt monopetalos tubuloſus, in quatuor partes acutas, albo-luteas diviſus, pars exterior alba, argenteo pulvere conſperſa, adhæret unicuique diviſuræ in tubuli parte ſuperiore apex purpureus; ſtylus eſt in medio albus, variè contortus; baccæ ſublongæ, exiguis olivis ſimiles, fungoſæ, cum nucleo intùs oſſeo.

Frutices flore monopetalo ſempervirentes, bacciferi.

Alaternus.

ALaternus. I B. flos viridis, monopetalos, e tubulo in quinque partes ſtellæ modo diviſus; quinque parva habet ſtamina viridia, parietibus floris adnata, cum apicibus luteſcentibus; baccæ parvæ, rubentes, cum tribus nucleis.

Frutices flore monopetalo compoſito, ſiliquoſi.

Acacia.

ACacia Vera. I B. flores in capitulum congeſti, lutei, unuſquiſque tubulus eſt albus, in quinque partes luteas diviſus, intra quas innumera ſunt ſtamina cum apicibus luteis; in medio oritur ſiliqua in plurimas foveas diviſa, cum ſeminibus rotundis.

SECTIO SECUNDA.

Arbores vel Frutices tetrapetali, fructu molli.

Cornus Fœmina.

COrnus Fœmina. B. Pin. flores in umbellâ gerit candidos, tetrapetalos, fructui firmiter adhærentes; quatuor ſtamina alba, cum apicibus tranſverſis luteſcentibus, ſtylo viridi in medio; baccæ nigricant, lacunâ in umbilico parvâ perfoſſæ, in quibus nucleus eſt ſtriatus. Jure merito à mari debet ſeparari, cum tantum inter ſe differant.

SECTIO TERTIA.

Arbores cum ſolo calice interno, polypetalæ, fructu ſicco.

Staphylodendron.

STaphylodendron. I B. flores e longo pediculo penduli oriuntur, albi, unuſquiſque decem habet petala, quinque exteriora, quinque interiora, coeuntibus leviter mucronibus, ita ut concavam urceoli figuram exprimere videantur, ut optimè dicit Raius. Nec inter flores roſaceos poteſt referri, quinque habet ſtamina cum apicibus tranſverſis, ferrugineis & ſtylo duplici albo; ſuperveniunt veſicæ magnæ, in duos loculos diſtinctæ, in unoquoque eſt nucleus, flores non decidunt ſed ſiccantur.

Fructu molli.

Vitis.

VItis Vinifera. Raii. flos qui vix floris nomen meretur, multò minus floris roſacei componitur ex quinque foliolis viridibus, quæ ſtatim decidunt; remanent quinque ſtamina alba cum apicibus luteis & parvo ſtylo ſupra fructum, intra quem ſunt quidam gigarti. Si flos non eſt ſpecioſus, certè fructus inter alios omnes Palmam meretur: infinitæ ſunt apud nos Vuarum differentiæ.

LIBER TERTIUS.

Arbores & Frutices cum duplici calice externo & interno.

DIvidemus pariter iſtum Librum in quinque Sectiones, juxta florum aut fructuum differentias. Prima erit de Arboribus flore ſtamineo, quarum aliæ ſunt fructu ſicco, aliæ fructu molli: Secunda de Arboribus & Fruticibus flore monopetalo eodem modo: Tertia de illis quæ ſunt flore tetrapetalo: Quarta de polypetalis: Quinta demum de polypetalis ſiliquoſis cum ſuis ſubdiviſionibus.

SECTIO PRIMA.

De Arboribus flore ſtamineo, fructu molli.

Morus.

MOrus fructu nigro. I B. plurimos glomerulos ſimul junctos producit, e pediculo pendentes, oblongos, quorum alii ſteriles ſunt & citò decidunt, alii fructiferi ut aliis plantis ſæpè contingit, quarum plures flores ſteriles ſunt; e quolibet glomerulo viridi ventricoſo, in ſummitate anguſto & parum diſſecto, exeunt duo ſtamina ſibi oppoſita, anſæ in modum recurva, cerei coloris. Non nobis licuit examinare quomodo glomeruli

illi fructiferi in bacculas molles transformentur, in quarum unaquaque eſt ſemen.

Sempervirentes flore ſtamineo, fructu ſicco.

Buxus.

BUxus Arboreſcens. B. Pin. raró Buxus arboreſcit; flores ſtamineos in variis calicibus variè diviſis, juxta caulem coacervatim poſitis producit; ſtamina alba ſunt; apices lutei, ſulcati, ex unâ parte diſpoſiti; in calicum medio oritur fructus, non in locis ſeparatis, in tria loculamenta diviſus, in quibus eſt ſemen.

SECTIO SECUNDA.

Arbores & Frutices monopetali, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Lilac.

LIlac Matth. frutex eſt flores racemoſos proferens, unuſquiſque flos eſt tubuloſus, in quatuor partes diviſus, in extremo tubuli duo ſunt apices parietibus adhærentes; florem ſuſtinet parvus Calix in quatuor etiam partes diviſus, in cujus medio eſt fructus compreſſus, oblongus, in duo loculamenta diviſus, cum ſeminibus compreſſis & emarginatis.

CAPUT SECUNDUM.

Vitex.

VItex latiore folio. B. Pin. Agnus folio ſerrato. I B. ſpicas Lavendulæ fert florum purpuraſcentium, unuſquiſque flos pro calice tubulum habet in quinque partes

diviſum ; flos etiam tubulus eſt in quinque partes pariter diviſus, cum quinque ſtaminibus & apicibus purpuraſcentibus ; fructus ferè ſphæricus , in quatuor loculamenta diviſus.

CAPUT TERTIUM.

Erica.

ERica Myricæ folio vulgaris. B. Pin. flores habet ſpicatos , purpureos , unuſquiſque campaniformis , in quatuor partes diviſus , in cujus medio eſt aliud foliolum cum ſtylo clavato , circa quem ſunt octo ſtamina, cum apicibus longis obſcurè-purpureis ; Calix externus viridis in quatuor etiam partes diviſus ; fructus in quatuor loculamenta dividitur.

Frutices monopetali, fructu ſiliquoſi.

Nerion.

NErion anguſtifolium floribus odoratis ſimplicibus. H. L. Bat. Calix brevis in quinque partes diviſus ; flos eſt tubulus longus , in quinque partes amplas incarnatas diviſus , ad tubuli aperturam eſt veluti corona ex pluribus ligulis ejuſdem coloris adnatis ; intra tubulum quinque ſunt ſtamina longa , flaccida , albeſcentia , breviſſimis pilis veluti lanâ obducta , cum ſtylo albo in medio ; ſuccedunt binæ ſiliquæ cum ſemine papposo.

Arbores & Frutices monopetali, fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Styrax.

STyrax folio Mali Cotonei. B. Pin. plures flores ſimul e pediculis producit monopetalos , albos , unuſquiſ-

que e tubulo, in ſex ut plurimum partes longas & anguſtas diviſus; adſunt plurima ſtamina alba, craſſa, cum apicibus ſimiliter craſſis, longis, rectis, pallidè-flaveſcentibus, ſtylo in medio; fructus carnoſus cum uno aut altero oſſiculo; Calix externus albo-viridis, rotundus, denticulatus tubulum ambit.

CAPUT SECUNDUM.

Guaiacana.

GUaiacana. I B. Lotus Africana latifolia. B. Pin. Calix parvus, viridis, in quatuor partes parum diviſus; flos parvus eſt tubulus in quatuor partes parum diviſus, rubro - ferrugineus, cum octo circiter apicibus albo - flaveſcentibus, brevi pediculo nixis; fructus eſt mollis, multicapſularis.

CAPUT TERTIUM.

Liguſtrum.

LIguſtrum. I B. flores racematim naſcuntur albi, tuboloſi, in quatuor partes ſupra tubulum diviſi, cum duobus apicibus craſſis, luteis, apertis, ſtylo albo ſupra fructum; Calix externus viridis ſupra fructum; baccæ nigræ, molles, racematim diſpoſitæ ſuccedunt.

CAPUT QUARTUM.

Viburnum.

VIburnum. B. Pin. flores ſunt in umbellâ monopetali, albi, in quinque partes diviſi, calici oblongo, in quinque etiam partes diviſo infixi, cum totidem ſtaminibus albis & apicibus luteis; baccæ primo virides, deindè rubræ, per maturitatem nigræ, compreſſæ, cum ſemine oſſeo.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Rhus Myrtifolia.

RHus Myrtifolia Monſpeliaca. B. Pin. flores racematim diſpoſiti; Calix viridis, oblongus, parum in quinque partes diviſus; flos monopetalos, viridis, ferè clauſus, in quinque etiam partes parum diviſus, ex quo emergunt quinque ſtamina longa, rubra; fructus pentagonus, Ciceris magnitudinis, pulpâ molli, nigrâ plenus, in quo quinque ſunt ſemina inter anguloſam tunicam oblongo-rotunda, ſtriata, & ut dicit Lob. cochleata.

CAPUT SEXTUM.

Sambucus.

SAmbucus racemoſa rubra. B. Pin. flos monopetalos, albus, in quinque partes diviſus, calici inſidens, cuilibet diviſuræ ſtamen eſt breve cum apice luteo; baccæ parvæ, rubræ, racematim diſpoſitæ; pulpa alba quæ ſemina continet oblonga, cerei coloris: in vulgari Sambuco flores ſunt in umbellâ, fructus nigri.

CAPUT SEPTIMUM.

Opulus.

OPulus flore globoſo. Inſt. R. Herb. Sambucus roſea. I B. plurimi ſunt flores glomerati, albi, in orbem diſpoſiti, monopetali, in quinque partes profundè diviſi, pediculis nixi; in medio eſt brevis ſtylus fructui inſidens, in quinque partes diviſus, albus, oris purpureis; florem ambit minimus calix in quinque partes diviſus.

CAPUT OCTAVUM.

Rhamnus.

RHamnus cortice albo Monſpelienſis. I B. Calix eſt monopetalos, viridis, in plures partes diviſus; flos monopetalos tubuloſus, à Candido ſubpurpuraſcens, in ſex partes diviſus, cum quinque ſtaminibus & apicibus luteſcentibus, ſtylo in medio viridi. Baccas ferre Olivæ figuræ dicit Cæſalpin.

CAPUT NONUM.

Cornus.

COrnus Hortenſis Mas. B. Pin. parvi pediculi ſuſtinent calicem viride-luteum, in quatuor aut quinque partes diviſum, cujus quælibet pars ex duabus quaſi agglutinatis conſtat, intra calicem ſunt plurimi tubuli lutei, breves, in quatuor partes parum diviſi in modum crucis; adhæret cuique diviſuræ ſtamen cum apice luteo, ſtylo ſupra baccam oblongam, rubram, quæ oſſiculum continet.

Flore monopetalo, difformi, fructu molli.

Periclymenum.

PEriclymenum, vel Caprifolium vulgare. Parkins. flores ſunt in capitulum congeſti, monopetali, tubo longiſſimo qui in duas partes dividitur, ſuperior lata, reflexa, quadripartita, exteriùs roſea, intùs alba, inferior convoluta, anguſta, albo lutea; quinque ſunt ſtamina alba cum apicibus luteis, tranſverſis, cum ſtylo viridi ſupra fructum, qui maturus ruber eſt & includit ſemen duriuſculum; flori ſubjacet calix breviſſimus, mo-

nopetalos, cum duobus denticulis ſuperiùs, tribus inferiùs, in altero calice bifolio rubente incluſus.

Arbores & Frutices ſempervirentes, flore monopetalo, fructu molli.

CAPUT PRIMUM.

Olea.

OLea ſativa. I B. Calicem habet breviſſimum in quaſdam partes parum diviſum; flores ſpicati, monopetali, albi, in quatuor aut quinque partes diviſi; in medio ſunt duo apices lati, lutei, tubulo annexi, cum ſtylo luteo apicato. Plurimæ ſunt Olivarum ſpecies, ideo fructus variæ ſunt figuræ longiores aut rotundiores, quæ per maturitatem nigricant.

CAPUT SECUNDUM.

Laurus.

LAurus. I B. Calix eſt bifolius qui citò decidit; flores conferti, monopetali, albi, in quatuor partes ut plurimum diviſi, cùm plurimis brevibus ſtaminibus & apicibus luteis; fructus oblongus, primò viridis, deindè niger; ſub cortice nucleum habet bifidum, ut rectè dicit Raius.

CAPUT TERTIUM.

Laurus Tinus.

LAurus Tinus corni fœminæ, foliis ſubhirſutis. B. Pin. Calix in quinque partes diviſus; flores in umbellâ monopetali, albo-rubentes, in quinque etiam partes diviſi, cum quinque ſtaminibus & apicibus albis; baccæ ſuccedunt oblongæ, cærulei coloris.

CAPUT QUARTUM.

Agrifolium.

AGrifolium, ſivè Aquifolium. I B. Calix breviſſimus, in quatuor partes diviſus; flos monopetalos, albus; cuilibet petali diviſuræ eſt ſtamen breve cum parvo apice luteſcente; baccæ ſuccedunt rubræ, rotundæ, umbilicatæ, quæ continent quaterna ſemina dura, oblonga, ſtriata.

CAPUT QUINTUM.

Jaſminum.

JAſminum vulgatius, flore albo. B. Pin. Calix eſt veluti cytinus in quatuor aut quinque partes virides anguſtas diviſus; flos tubuloſus, monopetalos, albus, odoratus in tot etiam partes dividitur, cum duobus ſtaminibus & apicibus longis, rectis, luteis; fructum vel baccam mollem ferre dicit Tournefort.

Jaſminum luteum vulgò dictum bacciferum. B. Pin. Calix in quinque partes anguſtas diviſus; flos luteus eodem modo; in ore tubuli ad quaſlibet diviſuras eſt apex luteus, rectus; ſtylus cum clavâ luteâ; baccæ ſuccedunt nigræ.

SECTIO TERTIA.

De Arboribus & Fruticibus flore tetrapetalo.

CAPUT PRIMUM.

Fraxinus.

FRaxinus Americana, florida. Raii. flores racematim diſpoſiti oriuntur, unuſquiſque ex parvo calice te-

trapetalos, albus, cum duobus ſtaminibus albis & apicibus luteis; fructum non vidimus, quamvis à longo tempore in Horto Regio Monſpelienſi colatur, cujus ramum dederamus D. Sloane, vulgarem autem Fraxinum non deſcripſimus.

CAPUT SECUNDUM.

Syringa.

SYringa alba, ſivè Philadelphus Athenæi. B. Pin. Calix in quatuor partes dividitur; flores quaſi ſpicati, albi, odorati, tetrapetali, cum numeroſis ſtaminibus albis & apicibus luteis, cum ſtylo albo in plures partes diviſo; fructus ſiccus in quatuor partes dehiſcens.

SECTIO QUARTA.

De Arboribus & Fruticibus flore polypetalo, fructu ſicco.

CAPUT PRIMUM.

Tilia.

TIlia Fœmina folio minore. B. Pin. ex alis foliorum naſcuntur ligulæ foliaceæ, longæ, albicantes, e quarum coſtâ mediâ exit pediculus qui in tres vel plures petiolos abit, quorum unuſquiſque florem ſuſtinet album, pentapetalum, petalis longis & anguſtis, cum plurimis ſtaminibus albis, longis, & apicibus luteis; calix circa florem quinque habet folia lata; fructus Piſo æqualis, intùs continens ſemen.

CAPUT SECUNDUM.

Evonimus.

EVonimus vulgaris, granis rubentibus. B. Pin. Calix rotundus, brevis, in quinque partes leviter diſſectus; flos pentapetalos, rubiginoſus, petali acuti ſubtùs carinati, in quo quinque ſunt eminentiæ coronæ inſtar cum apicibus luteis; fructus membranaceus, anguloſus cum ſeminibus.

CAPUT TERTIUM.

Spiræa.

SPiræa Theoph. Cluſ. Calix cytinus eſt in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, pallidè-roſeus, in ſpicam diſpoſitus, cum plurimis ſtaminibus & apicibus bipartitis ejuſdem coloris; fructus pentagonus ſemina continens.

Spiræa Hyperici-folio non crenato. Inſt. R. Herb. flores albi ſunt non ſpicati, in reliquis convenit.

CAPUT QUARTUM.

Toxicodendron.

TOxicodendron Tryphillum glabrum. Inſt. R. Herb. Hedera trifolia Canadenſis. Cornut. flores racematim oriuntur; Calix viridis, monopetalos, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos qui monopetalos apparet, albo luteo-pallidus, cum quinque ſtaminibus & apicibus ejuſdem coloris; fructus ſiccus, ſubrotundus.

CAPUT QUINTUM.

Coccygria.

COccygria, ſivè Cotinus putata. I B. inter pulmoſa capillamenta flores emittit pentapetalos, albos, cum

ſtaminibus & apicibus luteis. Fructum ſiccum non vidimus ; Calix externus eſt monopetalos , viridis , in quinque partes diviſus.

CAPUT SEXTUM.

Tamariſcus.

TAmariſcus Narbonenſis. Lob. Icon. flores ſpicati , in plures alias denſas ſpicas diviſi , pentapetali , albi , cum quinque ſtaminibus albis & apicibus roſeis , ita ut flos roſeus videatur , ſtylo in medio trifido e fructu ſivè capſulâ orto ; Calix parvus eſt viridis , monopetalos , in quinque partes diviſus.

CAPUT SEPTIMUM.

Hippocaſtanum.

HIppocaſtanum. Inſt. R. Herb. vulgò Caſtanea equina. Spicam fert elegantem , coniferam ; flores qui ex longis pediculis oriuntur , in uno quoque pediculo ſunt quinque , ſex , aliquando plures , quorum calix in quinque partes dividitur ; flos eſt pentapetalos , petala autem ſunt fimbriata , quorum duo in quibuſdam amplâ maculâ pulchrè rubent , in aliis ſunt citrina ; inter petala ſunt ſex ſtamina ut plurimum alba , undulata , cum apicibus luteis ruſeſcentibus ; fructus corticem habet echinatum , includentem Caſtaneam vulgaribus æmulam , ſed inſuavem.

Polypetalæ fructu molli.

Berberis.

BErberis Dumetorum. B. Pin. flores habet luteos , racematim dependentes ; Calix ſex habet folia , quo-

rum tria longiora ſunt, tria breviora ; flos hexapetalos ejuſdem longitudinis, ſtamina habet in fundo adhærentia, duabus croceis maculis notata, ſtylum in medio clavatum; baccæ cylindraceæ, ſucco rubro plenæ, in quibus ſemina.

Arbores quæ flores ex verâ Gemmâ producunt, folia vero ex aliâ.

CAPUT PRIMUM.

Malus Armeniaca.

MAlus Armeniaca major. B. Pin. flos tubulus eſt in quinque partes æqualiter diſtantes diviſus, rubeſcens; flos quinque habet petala lata, ſubrotunda, alba; plurima ſtamina alba cum apicibus rubentibus, ita ut flos roſeus videatur; fructus carnoſus, ferè rotundus, optimi ſaporis, oſſiculum compreſſum continens, in quo continetur nucleus in quibuſdam ſpeciebus dulcis, in aliis parum amarus; florum Gemmæ in diverſis locis naſcuntur à Gemmis foliorum.

CAPUT SECUNDUM.

Malus Perſica.

MAlus Perſica. I B. in omnibus conveniunt flores Mali Perſicæ cum floribus Mali Armeniacæ, niſi quod magis rubeſcunt; fructus etiam carnoſi ferè globoſi, ſed qui includunt oſſiculum plurimis ſcrobiculis excavatum, in quo continetur nucleus amaricans cum quadam dulcedine.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Amygdalus.

AMygdalus ſativa, fructu majore. B. Pin. Calix florum tubulus eſt, ut in ſuperioribus in quinque partes diviſus, à Gemmâ foliorum ſeparatus; quinque ſuſtinet petala lata, ſubrotunda, albo-roſea, in medio parum diviſa; plurima ſtamina ejuſdem coloris, cum parvis apicibus roſeis & ſtylo longo, clavato; fructus callo obductus eſt, continens oſſiculum longum, in quo eſt pulpa dulcis optimi ſaporis.

CAPUT QUARTUM.

Ceraſus.

CEraſus Racemoſa, fructu non eduli, rubro. Hort. R. Pariſ. flores ſunt in ſpicâ; Calix tubulus eſt viridis, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, albus, cum plurimis ſtaminibus albis & apicibus luteis; fructus ruber, parvus, cum oſſiculo.

Arbores flore polypetalo, cum oſſiculo.

CAPUT PRIMUM.

Ziziphus.

ZIziphus, ſivè Jujuba major. Parkins. Calix e brevi pediculo albo-luteus, in quinque partes diviſus, unicuique diviſuræ parvum eſt foliolum albeſcens, cujus extremum rotundum eſt cochlearis modo excavatum, cum ſtamine brevi & apice albo-luteo; fructus Olivæ æmulus, rubens, cum pulpâ dulci & oſſiculo duro.

CAPUT SECUNDUM.

Azedarach.

AZedarach Arbor Fraxini folio, flore cæruleo. B. Pin. flores copioſos producit quorum Calix brevis eſt, in quinque partes ad imum uſque diviſus; flos pentapetalos purpureus; in medio eſt tubulus purpuro-niger, e plurimis foliis Pinnatis, arctè unitis compoſitus, cui adhærent apices albi cum ſtylo in medio; fructus ſivè baccæ molles, luteæ, ingrati ſaporis, in quibus oſſiculum eſt variè anguloſum

Arbores polypetalæ, ſempervirentes, cum oſſiculis.

Palma Minor.

PAlma Minor. B. Pin. vulgò Camæriphes. Calix monopetalos eſt viridis, in tres partes diviſus; ſex ſunt petala cum totidem ſtaminibus & apicibus luteis; flores racematim oriuntur & numerus apicum eos luteos oſtendit; fructus ſuccedunt ſubrotundi.

Arbores & Frutices floribus polypetalis, fructui inſidentibus.

CAPUT PRIMUM.

Malus.

MAlus ſativa, fructu ſubrotundo, luteo, palleſcente, acido-dulci, Gallicè Pome Renette. Flores habet albos, pentapetalos, cum plurimis ſtaminibus albis & apicibus luteis; circa florem ſunt quinque foliola anguſta, fructui annexa, quo maturo ſiccantur & decidunt, quæ calicem externum conſtituunt; ſub illo

calice, floribus, ſtaminibus & apicibus eſt fructus quem verum calicem internum dicimus: idem in campanulâ & aliis accidere in primo Tractatu notavimus; fructus eſt carnoſus, in plura loculamenta diviſus, in quibus ſemen continetur.

CAPUT SECUNDUM.

Pyrus.

PYrus ſativa. Flores habet eodem modo diſpoſitos ac malus; fructus ſubjacet calici externo quinquefolio ſupra longos pediculos inter folia ortos; flores ſunt pentapetali cum ſtaminibus & apicibus; fructus ſunt diverſæ figuræ juxta varias Pyrorum ſpecies, ſeminibus in loculamentis ut in Malo.

CAPUT TERTIUM.

Sorbus.

SOrbus ſativa. B. Pin. flores umbellæ modo diſpoſiti, pentapetali, albi, cum ſtamnibus albis & apicibus luteis; Calix externus ſupra fructum in quinque partes diviſus; fructus parum turbinatus, flaveſcens, maturitate dulcis includit quædam ſemina compreſſa.

CAPUT QUARTUM.

Cotonaſter.

COtonaſter folio oblongo, ſerrato. B. Pin. flores ſunt in umbellâ, unuſquiſque pentapetalos, roſeus, intra calicem in quinque partes diviſum, qui eſt ſupra calicem internum ſivè fructum: dum autem fructus maturus eſt, calix externus marceſcit & decidit; in qualibet hujuſce calicis parte internâ adnaſcuntur tria ſtamina cum apicibus albis; in medio tres parvi ſtyli;

fructus ſunt oblongi, rubri, cum ſeminibus.

CAPUT QUINTUM.

Pyracantha.

PYracantha quibuſdam. I B. flores pentapetali, albi, acervatim congeſti, cum innumeris ſtaminibus & apicibus luteis, ſtylo in quinque partes diviſo; in cæteris fructus eſt ſimiliter ſub calice & flore, colore luteo cum paucâ rubedine granula aliquot continens.

CAPUT SEXTUM.

Amelanchier.

AMelanchier. Lob. Alni effigie lanato folio, minor. B. Pin. flores fert plures ſimul, pentapetalos, albos, petalis longis & anguſtis, extremitati fructui adhærentibus, cum ſtaminibus numeroſis, albis, apicibus purpuraſcentibus; fructus eſt ſimiliter ſub calice & flore; baccæ nigræ, parvæ, cum ſeminibus.

CAPUT SEPTIMUM.

Frangula.

FRangula. Dod. Alnus nigra baccifera. B. Pin. fructus habet ſupra calicem externum, in quinque partes albas diviſum, unicuique diviſuræ adhæret foliolum album, cucullatum vel plicatum cum maculis nigris; baccæ ſuccedunt nigræ cum duobus ſeminibus.

CAPUT OCTAVUM.

Roſa.

ROſa ſativa, ſivè purpurea. B. Pin. flore eſt polypetalo variorum colorum cum plurimis ſtamini-

bus albis & apicibus luteis; circa plures ſtylos apicatos, denſè congeſtos fructus ſubjacet, qui in parte ſuperiore quinque habet partes reſupinas, tres foliatas, duas verò non, quæ maturo fructu decidunt & calicis externi vicem gerunt; fructus oblongus, dum maturus ruber eſt; ſemina lanugine incluſa ſunt.

CAPUT NONUM.

Malus Punica.

MAlus Punica. I B. flos fructui adhærens hexapetalos eſt, petalis coccineis latis, cum innumeris ſtaminibus Phœniceis & apicibus luteis; fructus floribus ſubjacet, ſex partibus craſſis & acutis coronatus, quas calicem externum dicimus; fructus Acinis rubentibus, ſucci plenis repletus, membranis tenuiſſimis, diſtinctis cum uno ſemine.

Arbores flore polypetalo, fructu carnoſo ſempervirentes.

Malus Aurantia.

MAlus Aurantia. I.B. Calix externus quinque habet acumina pro petalorum numero; flos pentapetalos albus, odoratus, petalis longis, cum numeroſis ſtaminibus albis & apicibus luteis; ſtylus eſt craſſus, albus, cum clavâ luteâ; fructus ferè globoſus, luteus, carnoſus, ſucci & veſicularum plenus cum ſeminibus.

SECTIO QUINTA.

De Arboribus & Fruticibus polypetalis, ſiliquoſis.

CAPUT PRIMUM.

Siliqua Sylveſtris.

SIliqua Sylveſtris, rotundifolia. B. Pin. flores Papilionacei in Arborum caudicibus oriuntur, plures ſimul e parvis pediculis rubentibus; Calix parvus, craſſus, in quinque partes diviſus, duæ parvæ ſuperiores, duæ laterales latæ & una inferior; flos roſeus, pentapetalos, duo petala ſuperiora, tria inferiora; decem ſunt ſtamina recurva cum apicibus ferrugineis, ſtylo recurvo; ſiliquæ compreſſæ purpuraſcentes in quibus ſunt ſemina.

CAPUT SECUNDUM.

Pſeudoacacia.

PSeudoacacia. Inſt. R. Herb. vulgò Acacia Robini. Flos pentapetalos, albus, labrum ſuperius latum, elatum, duo lateralia, duo quæ Carinam apicatam faciunt; Calix monopetalos, ſuperiùs in duas partes, inferiùs in tres diviſus; ſiliqua brevis, plana.

CAPUT TERTIUM.

Laburnum.

LAburnum, Arbor trifolia Anagiridi ſimilis. I B. Calix monopetalos, in ſuperiori parte in duas partes diviſus, in inferiori leviſſimè in tres; flos in ſpicâ pen-

tapetalos, luteus, labrum ſuperius latum, elatum, duo la teraliaquæ Carinam apicatam faciunt ſunt ſupra ſiliquam compreſſam quæ ſemina continet.

CAPUT QUARTUM.

Barba Jovis Frutex.

BArba Jovis Lagopoides, frutescens, Incana, ſpicato flore purpureo. Inſt. R. Herb. Ebenus Cretica Proſp. Alpin. Calix villoſus in quinque partes diviſus, duæ ſuperiores, tres inferiores; flores in ſpicâ magni, roſei, pentapetali, petalum ſuperius magnum, elatum, duo ſiliquam brevem involvunt, duo verò minima roſea occultantur.

CAPUT QUINTUM.

Geniſta-ſpartium.

GEniſta-ſpartium majus, flore luteo. B. Pin. Calix parvus, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, petalum ſuperius ſulcatum & cordatum, duo lateralia, duo quæ ſiliquam apicatam, compreſſam inveſtiunt.

CAPUT SEXTUM.

Geniſtella.

GEniſtella Piloſa. I B. Calix parvus, in quinque partes diviſus; flos pentapetalos, petalum ſuperius cordatum, in medio ſulcatum, reliqua ſunt ut in aliis floribus Papilionaceis.

Deo Uni trino ſit Laus, honor & gloria.

INDEX

INDEX FLORUM PLANTARUM.

A

Abies. 303.
Abrotanum. 140.
Abrotanum fœmina, *vide* Santolina.
Abſinthium. 139.
Abutilon. 226.
Acacia. 307.
Acanthus. 232.
Acanthium, *vide* Carduus.
Acetoſa. 152.
Acinos. 97.
Aconitum. 200.
Adhatoda. 237.
Adiantum. 38.
Adonis, *vide* Ranunculus.
Ageratum. 142.
Agrimonia. 271.
Agrimonioides. 271.
Alaternus. 307.
Alcea. 225.
Alchimilla. 52.
Alcyonium. 36.
Alga. 37.
Aliſma, vulgo Plantago Aquatica. 110.
Alkekengi. 206.
Alliaria, *vide* Heſperis.
Allium. 183.
Alni effigie, *vide* Amelãchier.
Aloe. 185.
Alſine. 268.
Althæa. 225.
Althæades. 226.
Alyſſon. 247.
Amaranthoides. 263.
Amaranthus. 262.
Ambroſia. 54.
Amelanchier. 324.
Ammi. 159.

Ammioſelinum. 163.
Amygdalus. 321.
Anacampſeros. 272.
Anagallis. 219.
Anchuſa. 76.
Androſace. 222.
Androſace Chamæconchæ Innaſcens. 35.
Anemone. 173.
Anethum. 167.
Angelica. 167.
Anguria. 210.
Aniſum. 162.
Anonis. 291.
Antirrhinum. 235.
Anthyllis. 212.
Aparine. 154.
Aphaca. 285.
Aphyllantes. 265.
Apium. 161.
Apocynum. 228.
Aquifolium. 316.
Aquilegia. 201.
Aralia. 194.
Argentina, *vide* Pentaphylloides.
Ariſarum. 192.
Ariſtolochia. 192.
Artemiſia. 140.
Arum. 191.
Arundo. 66.
Aſarum. 193.
Aſclepias. 229.
Aſparagus. 193.
Aſperugo. 73.
Aſperula. 155.
Aſphodelus. 184.
Aſplenium. 39.
Aſter. 121.
Aſteriſcus. 127.
Aſtragaloides. 282.
Aſtragalus. 280.
Aſtrantia. 172.
Athanaſia. 128.
Atriplex. 53.
Atriplex Sylveſtris. 48.
Avena. 60.
Auricula Urſi. 222.
Azedarach. 322.

B

Baccharis. 138.
Balſamina. 198.
Barba Capræ. 274.
Barba Jovis Herba. 286.
Barba Jovis Frutex. 327.
Barbarea, *vide* Eruca.
Bardana. 136.

Belladona. 207.
Bellis. 127.
Bellis Spinoſa. 141.
Berberis. 319.
Bermudiana. 186.
Beta 48.
Betonica. 91.
Bidens. 141.
Bignonia. 234.
Biſtorta. 152.
Blattaria. 216.
Blitum. 50.
Borrago. 72.
Braſſica. 249.
Brunella. 85.
Bryonia. 208.
Bugloſſum. 72.
Bugula. 104.
Bulbocaſtanum. 161.
Bupthalmum. 126.
Buplevrum. 165.
Burſa Paſtoris. 246.
Buxus. 310.

C

Cacalia. 137.
Cachrys. 157.
Calamintha. 95.
Calceolus. 188.
Calendula. 128.
Campanula. 214.
Camphorata. 52.
Cannabis. 56.
Cannacorus. 234.
Capnoides. 200.
Cāpparis. 243.
Capſicum. 206.
Cardamindum. 277.
Cardamine. 251.
Cardiaca. 84.
Carduus. 130.
Carlina. 142.
Carthamus. 136.
Carvi. 158.
Caryophyllata. 275.
Caryophyllus. 263.
Caſſia Poetica. 306.
Caſſida. 82.
Caſtaneo. 301.
Caſtaneo Equina, *vide* Hippocaſtanum.
Catanance. 118.
Cataria. 90.
Caucalis. 170.
Centaurium Majus. 136.
Centaurium Minus luteum. 213.
Cepa. 183.

Ceraſus. 321.
Cerinthe. 71.
Ceterac, *vide* Aſplenium.
Chærophyllum. 171.
Chamæciſtus. 259.
Chamæcytiſus. 292.
Chamædris. 101.
Chamælea. 195.
Chamæmelum. 126.
Chamænerium. 255.
Chamæpytis. 103.
Chamæriphes, *vide* Palma.
Chelidonia Minor, *vide* Ranunculus.
Chelidonium. 255.
Chondrilla. 116.
Chriſtophoriana. 194.
Chryſantemum. 125.
Chryſoſplenium. 190.
Cicer. 285.
Cichorium. 117.
Cicuta. 161.
Cicutaria. 160.
Cinara. 132.
Circæa. 240.
Cirſium. 132.
Ciſtus. 259.
Clematitis. 174.
Clinopodium. 89.
Cnicus. 131.
Coccygria. 318.
Cochlearia. 246.
Colchicum. 177.
Convolvulus. 219.
Conyza. 123.
Corallina. 34.
Corallum. 32.
Corchorus. 270.
Coriandrum. 165.
Cor Indum. 278.
Coris. 233.
Cornus. 314.
Cornus Fœmina. 307.
Corona Imperialis. 181.
Coronilla. 288.
Coronopus. 224.
Corylus. 301.
Cotonaria. 141.
Cotonaſter. 323.
Cotyledon. 227.
Crithmum. 167.
Crocus. 177.
Cruciata. 154.
Cucubalus. 268.
Cucumis 209.
Cucurbita. 210.
Cuminoides. 173.
Cuminum. 158.

Cupreſſus. 302.
Cuſcuta. 219.
Cyanus. 135.
Cyclamen. 234.
Cynanchica. 155.
Cynocrambe. 150.
Cynogloſſum. 74.
Cyperus. 67.

D

DAucus. 162.
Delphinium. 201.
Dens Leonis. 116.
Dentaria. 251.
Dictamnus. 95.
Digitalis. 231.
Dipſacus. 145.
Dodartia. 237.
Doronicum. 120.
Dorycnium. 286.
Dracunculus. 192.

E

EChinopus. 144.
Echium. 77.
Elichryſum. 138.
Enula Campana. 120.
Ephemerum. 198.
Ephemerum Math. 217.
Ephemero-Phalangium 241.
Epimedium. 196.
Equiſetum. 58.
Erica. 311.
Eruca. 251.
Erucago. 244.
Eruum 285.
Eryngium. 146.
Eryſimum. 252.
Evonimus. 318.
Eupatorium. 137.
Euphraſia. 233.

F

FAba. 281.
Fabago. 270.
Fagopyrum. 151.
Falcaria. 163.
Ferrum Equinum. 288.
Ferula. 166.
Ficoides. 207.
Ficus. 303.
Filipendula. 109.
Filix. 40.
Fœniculum. 158.
Fœnugræcum. 291.
Fragaria. 112.
Frangula. 324.
Fraxinella. 277.

Fraxinus. 316.
Fritillaria. 182.
Fucus. 36.
Fumaria. 199.
Fungus. 46.

G

Galega. 282.
Galeopſis. 87.
Gallium. 154.
Geniſta Sparrium. 327.
Geniſtella. 327.
Gentiana. 212.
Geranium. 275.
Geum. 273.
Gladiolus. 179.
Globularia. 146.
Glyzirrhiſa. 287.
Gnafalium. 139.
Gramen. 63.
Granadilla. 258.
Guaiacana. 312.

H

Harmala. 261.
Hedera Terreſtris 96.
Hedypnois. 120.
Hedyſarum. 289.
Helenium. 124.
Heliotropium. 75.
Helleborine. 187.
Helleborus. 197.
Hemionitis, *vide* Lingua Cervina.
Herba Paris. 242.
Herniaria. 51.
Heſperis. 250.
Hieracium. 115.
Hippocaſtanum. 319.
Hordeum. 60.
Horminum. 80.
Hyacinthus. 176.
Hyacinthus Ramoſus. 176.
Hyacinthus Tuberoſâ radice, *vide* Tuberoſa.
Hydrocotyle. 195.
Hydrophyllon. 218.
Hyoſciamus. 230.
Hypecoon. 254.
Hypericum. 259.
Hypericoides. 261.
Hyſſopus. 92.

I

Jacea ſpinoſa, & non ſpinoſa. 132. 133.
Jacobea. 122.
Jaſminum. 316.

Ilex. 302.
Imperatoria. 168.
Ipeccacoanna. 194.
Iris. 180.
Iris Bulboſa. 179.
Iſatis. 249.
Jujuba, *vide* Ziziphus.
Juncus. 106.

K

Kali. 105.
Ketmia 227.

L

Laburnum. 326.
Lachrima Jobi. 62.
Lactuca. 114.
Ladanum Segetum. 97.
Lamium. 85.
Lampſana. 119.
Lapathum. 153.
Lappa, *vide* Bardana.
Laſerpitium. 169.
Lathyrus. 283.
Laurus. 315.
Laurus Tinus. 315.
Lavendula. 94.
Lens. 285.
Lenticula Paluſtris, *vide* Lichen.
Leontapetalon. 195.
Leonurus. 83.
Lepidium. 246.
Leucanthemum. 126.
Leucoium. 249.
Leviſticum. 162.
Libanotis. 163.
Lichen. 43.
Liguſtrum. 312.
Lilac. 310.
Liliaſtrum. 186.
Lilio-Aſphodelus. 185.
Lilium. 180.
Lilium Convallium. 188.
Limonium. 108.
Linaria. 236.
Linaria Aurea Trag. *vide* Linoſyris.
Lingua Cervina. 42.
Linoſyris. 138.
Linum. 261.
Litophyton. 35.
Lithoſpermum. 74.
Lonchitis, *vide* Filix.
Lotus 290.
Lunaria. 247.
Lunaria Racemoſa. 42.
Lupinus. 282.
Lupulus. 57.

Luteola. 279.
Lychnis. 265.
Lycoperſicon. 205.
Lycopus. 100.
Lyſimachia. 217.
Lyſimachium. 262.

M

Majorana. 94.
Malva. 224.
Malus. 322.
Malus Armeniaca. 320.
Malus Aurantia. 325.
Malus Perſica. 320.
Malus Punica. 325.
Mandragora. 204.
Marrubiaſtrum. 89.
Marrubium. 92.
Martagon. 181.
Marum. 99.
Matricaria. 129.
Mays. 61.
Medica. 294.
Medicago. 295.
Melampyrum. 238.
Melianthus. 202.
Melilotus. 292.
Meliſſa. 97.
Melo. 209.
Melongena. 206.
Melopepo. 210.
Mentha. 100.
Menyanthes. 218.
Mercurialis. 57.
Meum. 158.
Milium. 62.
Millefolium. 130.
Mirabilis Peruviana. 220.
Moldavica. 90.
Molucca. 84.
Momordica. 211.
Morina. 237.
Morus. 309.
Muſcus. 45.
Myoſuros. 195.
Myrrhis 171.

N

Napus. 252.
Narciſſo-Leucoium 184.
Narciſſus. 178.
Naſturtium. 245.
Nerion. 311.
Nicotiana. 212.
Nigella. 197.
Nummularia. 219.
Nux Juglans. 301.
Nymphæa. 257.

Ocimum.

O

Ocimum. 99.
Oenanthe. 160.
Olea. 315.
Oleaſter. 306.
Onagra. 256.
Onobrychis. 286.
Ophiogloſſum. 43.
Ophris. 188.
Opulus. 313.
Opuntia. 189.
Orchis. 187.
Oreoſelinum. 169.
Origanum. 95.
Ornithogalum. 182.
Ornitopodium. 288.
Orobanche. 239.
Orobus. 284.
Oriza. 61.
Oxys. 213.

P

PÆonia. 271.
Palma Minor. 322.
Pancratium. 178.
Panicum. 62.
Papaver. 242.
Papaver Corniculatum. 253.
Parietaria. 71.
Parnaſſia. 261.
Paſtinaca. 168.
Pedicúlaris. 238.
Pentaphylloides. 111.
Pentaphyllum. 111.
Pepo. 210.
Periclymenum. 314.
Periploca. 228.
Perſicaria. 152.
Pervinca. 229.
Petaſites. 137.
Petroſelinum. 161.
Peucedanum. 167.
Phalangium. 186.
Phalaris. 62.
Phaſeolus. 290.
Phlomis. 79.
Phyllon. 57.
Phytolacca. 189.
Piloſella. 117.
Pimpinella. 149.
Pinguicula. 233.
Piſum. 282.
Plantago. 223.
Platanus. 303.
Plumbago. 70.
Podagraria. 162.
Polemonium. 217.
Polium. 104.

Polygala. 240.
Polygonatum. 189.
Polygonum. 152.
Polypodium. 40.
Polytrichum. 40.
Populus. 300.
Porrum 183.
Portulaca. 273.
Primula Veris. 222.
Pſeudo acacia. 326.
Pſeudo dictamnus. 93.
Pſyllium. 224.
Ptarmica. 129.
Pulegium. 101.
Pulmonaria. 76.
Pulſatilla. 174.
Pyracantha. 324.
Pyrus. 323.

Q

Quercus. 302.

R

Ranunculoides. 196.
Ranunculus. 109.
Rapa. 253.
Raphaniſtrum. 254.
Raphanus. 253.
Rapiſtrum. 248.
Rapunculus. 215.
Reſeda. 278.
Rhagadiolus. 119.
Rhamnus. 314.
Rhamnus Catharticus. 306.
Rhaponticum. 153.
Rhus Myrtifolia. 313.
Ricinus. 55.
Roſa. 324.
Ros marinus. 92.
Rubeola. 156.
Rubia. 190.
Ruſcus. 208.
Ruta. 244.

S

Salicornia. 50.
Salix. 300.
Salvia. 78.
Sambucus. 313.
Samolus. 218.
Sanamunda. 150.
Sanicula. 173.
Santolina. 140.
Satureia. 98.
Saxifragia. 164.
Scabioſa. 145.
Scandix. 171.
Sclarea. 80.

Scolopēdria leguminoſa 281.
Scolymus. 118.
Scordium. 103.
Scordotis. 90.
Scorodonia. 103.
Scorpioides. 289.
Scorzonera. 116.
Scrophularia. 232.
Secacul. 170.
Secale. 60.
Securidaca. 287.
Sedum. 272.
Selinum. 159.
Senecio. 137.
Serpillum. 98.
Serratula, *vide* Jacea.
Seſamum, *vide* Digitalis.
Seſeli. 158.
Sideritis. 88.
Silaum. 160.
Siler. 163.
Siliqua ſyl. rot. 326.
Sinapi. 252.
Sinapiſtrum. 255.
Siſarum. 164.
Siſon. 164.
Siſymbrium. 251.
Sium. 165.
Smilax. 193.
Smirnium. 166.
Solanum. 204.
Sonchus. 114.
Sorbus. 323.
Sorghum. 60.
Sparganium. 69.
Sphondilium. 168.
Spinachia. 55.
Spiræa. 318.
Spongia. 35.
Stachis. 84.
Staphilodendron. 308.
Staphiſagria. 201.
Statice. 147.
Stæbe, *vide* Jacea.
Stæchas. 93.
Stramonium. 211.
Styrax. 311.
Sycioides. 211.
Symphitum. 75.
Syringa. 317.

T

Tagetes. 125.
Tamariſcus. 319.
Tamnus. 209.
Tanacetum. 142.
Tanacetum Inodorum, *vide* Athanaſia.

Thalictrum. 196.
Thelephium. 263.
Thapſia. 169.
Thlaſpi & Pſeudo-Thlaſpi. 244. 245.
Thlaſpidium. 248.
Thymbra. 99.
Thymælea. 189.
Thymus. 98.
Tilia. 317.
Tithymalus. 191.
Tithymalo Niſſolia. 190.
Tordylium. 169.
Tormentilla. 111.
Tourneſol. 274.
Toxicodendron. 318.
Trachelium 216.
Tragacantha. 281.
Tragopogon. 116.
Tribulus. 274.
Trifolium. 292.
Trifolium Hepaticum, *vide* Ranunculus.
Triticum. 59.
Tubera. 47.
Tuberoſa. 178.
Tulipa. 181.
Turritis. 250.
Tuſſilago. 124.
Typha. 70.

V

Valeriana. 149.
Valeriana Græca, *vide* Polemonium.
Valerianella. 144.
Veratrum. 197.
Verbaſcum. 216.
Verbena. 101.
Veronica. 221.
Viburnum. 312.
Vicia. 284.
Viola. 278.
Virga Aurea. 123.
Viſnaga. 159.
Vitex. 310.
Vitis. 308.
Ulmaria. 274.
Ulmus. 305.
Unifolium Aconitum. 196.
Urtica. 105.
Vulneraria. 286.

X

Xanthium. 54.
Xeranthemum. 143.
Xylon. 226.

Y

Yucca. 186.

Z

Zacintha. 119.
Ziziphus. 321.

FINIS.

ERRATA.

P*Ag.* 2. *lin.* 10. varios, *lege* vario. *Ibid. lin.* 24. quas, *lege* quæ. *Ibid. lin.* 29. poſſunt, *lege* poſſent. *Pag.* 3. *lin.* 7. poſſint, *lege* poſſent. *Ibid. lin.* 24. Hermannus, *lege* Hermanni. *Pag.* 8. *lin.* 21. quæ, *lege* quas. *Pag.* 17. *lin.* 13. utrumquæ, *lege* utrumque. *Pag.* 26. *lin.* 2. diſpoſitæ, *lege* diſpoſitis. *Pag.* 28. *lin.* 17. Aboribus, *lege* Arboribus. *Pag.* 34. *lin.* 26. elatere, *lege* e latere. *Pag.* 37. *lin.* 18. deſtingui, *lege* diſtingui. *Pag.* 39. *lin.* 6. que *lege* quæ. *Pag.* 52. *lin.* 19. haberea, *lege* habere. *Pag.* 57. *lin.* 25. ſativam, *leg.* ſativum. *Pag.* 62. *lin.* 11. Dodantralis, *lege* Dodrantalis. *Pag.* 63. *lin.* 16. Agoſtographiæ, *lege* Agroſtographiæ. *Ibid. lin.* 17. Scheucheri, *lege* Scheuchzeri. *Pag.* 64. *lin.* 8. Hordaceum, *lege* Hordeaceum. *Ibid. lin.* 11. Arriſtis, *lege* Ariſtis. *Pag.* 66. *lin.* 15. expenſa, *lege* expanſa. *Pag.* 74. *lin.* 24. ſemem, *lege* ſemen. *Pag.* 79. *lin.* 21. cadem, *lege* eandem. *Ibid. lin.* 23. Inſt. R. R. *lege* Inſt. R. *Pag.* 86. *lin.* 28. reducencum, *lege* reducendum. *Pag.* 88. *lin.* 13. quatuot, *lege* quatuor. *Ibid. lin.* 27. pattes, *lege* partes. *Pag.* 117. *lin.* 3. habet, *lege* habent. *Pag.* 134. *lin.* 17. Condrilla, *lege* Chondrilla. *Pag.* 135. *lin.* 23. Cichicorii, *lege* Chicorii. *Pag.* 142. *lin.* 15. Corimbera, *lege* Corymbifera. *Pag.* 146. *lin.* 26. & 27. Eringum, *lege* Eryngium. *Pag.* 147. *lin.* 11. Cariophillus, *lege* Caryophyllus. *Ibid. lin.* 13. Cariophillos, *lege* Caryophyllos. *Pag.* 149. *lin.* 13. purpureas, *lege* purpureos. *Pag.* 150. *lin.* 9. menopetalos, *lege* monopetalos. *Pag.* 151. *lin.* 4. aparent, *lege* apparent. *Pag.* 152. *lin.* 18. Poligonum, *lege* Polygonum. *Pag.* 173. *lin.* 25. exapetalos, *lege* hexapetalos. *Page* 176. *lin.* 22. Hyacenthus, *lege* Hyacinthus. *Pag.* 184. *lin.* 5. Moſcatum, *lege* Moſchatum. *Pag.* 185. *lin.* 7. ſiunt, *lege* ſunt. *Ibid. lin. ultimâ* reconditum, *lege* recondito. *Pag.* 190. *lin.* 23. ſubfructicoſa, *leg.* ſubfruticoſa. *Pag.* 192. *lin.* 16. & 17. polyphillos & polyphillus, *lege* polyphyllos & polyphyllus. *Ibid. lin.* 21. deſinens, *lege* deſinentem. *Pag.* 194. *lin.* 18. Ipeccacoanna, *lege* Ipecacoanna. *Pag.* 197. *lin. ultimâ* contotta, *lege* contorta. *Pag.* 208. *lin.* 14. viridi-flaum, *lege* viridi-flavum. *Pag.* 211. *lin.* 5. os, *lege* flos. *Pag.* 212. *lin.* 8. monophillos, *lege* monophyllos. *Pag.* 218. *lin.* 15. politis, *lege* poſitis. *Pag.* 227. *lin.* 8. inferior, *lege* interior. *Pag.* 232. *lin.* 5. partitur, *lege* partitus. *Pag.* 236. *lin.* 16. Linearia, *lege* Linaria. *Ibid. lin.* 28. os flpurpureus, *lege* flos purpureus. *Pag.* 240. *lin.* 11. Roſei, *lege* Roſacei. *Pag.* 244. *lin.* 17. quadragulâ, *lege* quadrangulâ. *Pag.* 248. *lin.* 6. Juſt. *lege* Inſt. *Pag.* 250. *lin.* 5. apicbus, *lege* apicibus. *Pag.* 253. *lin. ultimâ* dictinctæ, *lege* diſtinctæ. *Pag.* 255. *lin.* 18. tetrapelalis, *lege* tetrapetalis. *Pag.* 159. *lin.* 13. Heliantemum, *lege* Helianthemum. *Pag.* 260. *lin.* 12. frutieoſa, *lege* fruticoſa. *Pag.* 263. *lin.* 25. & 26. Caryophillus, *lege* Caryophyllus. *Pag.* 264. *lin.* 7. 10. 13 20. Caryophillus, *lege* Caryophyllus. *Pag.* 265. *lin.* 3. Caryophillus, *lege* Caryophyllus. *Pag.* 272. *lin.* 1. purpuro-roſacei, *lege* purpuro-roſei. *Pag.* 275. *lin.* 9. 10. & 16. Caryophillata, *lege* Caryophyllata. *Pag.* 318. *lin.* 28. pul noſa, *lege* plumoſa. *Pag.* 331 *lin.* 20. Caſtaneo *lege* Caſtanea *Ibid. lin.* 21. Caſtaneo *lege* Caſtanea